

ELEMENTI PRIMI,

SEU

PARTIS PRIMÆ HISTORIÆ UNIVERSALIS,

COMPLECTENTIS SUCCINCTAM NOTITIAM

HISTORIÆ SACRÆ,

TAM VETERIS QUAM NOVI TESTAMENTI


CONTINUATIO

SEU

TESTAMENTUM NOVUM.



INGOLSTADII,
Sumptibus JOANNIS ANDREÆ de la HAYE, Bibliop. Acad. Anno 1728.



TESTAMENTUM NOVUM.

CAPUT VII.

Seu Epocha Septima Historiæ Sacræ. Christus Natus.

Seu

Status Regni Judaici sub Romanis Prætoribus, usque ad ultimam ejus eversionem â Christo Nato per annos 70.

MElander. Quæ hujus Epochæ divisio? *Leucotheus*. In geminam Instructionem: Prima aget de iis, quæ gesta sunt à *Christi* Nativitate usque ad ejus Ascensionem per annos 33. Secunda aget de iis, quæ gesta sunt à *Christi* Ascensione usque ad Templi, & Regni *Judaici* eversionem per annos 36.

Epochæ septimæ Divisio Quæ? in 2. Instru.

INSTRUCTIO I.

De iis, quæ acta sunt à Christi Nativitate usque ad ejus Ascensionem per annos 33.

MElander. Quæ divisio primæ Instructionis?

Leucotheus. In Paragraphos quatuor. Primus aget de statu *Judææ* Politico, atque Ecclesiastico circa tempora *Christi Nati*. Secundus de Testamento Novo in genere, & pri-

Instructionis primæ Divisio Qualis? in §§. 4.

primo tempore Vitæ *Christi*, quod præcessit ejus Ministerium. Tertius de secundo tempore, quo Ministerium duravit. Quartus de tertio tempore, quo per Ascensionem Ministerium finiit.

§. I.

De statu Regni Judaici Politico atque Ecclesiastico, circa tempora Christi Nati.

Status Judææ Politicus circa tempora Christi Nati, Qualis? A. M. 3991. V. 690.

MEl. Quinam fuit status Politicus Regni *Judaici* circa tempora *Christi* Nati?

Leuc. Turbatissimus: nam ubi semel subiit *Judæa Romanorum* vectigale jugum sub *Pompejo*, illud excutere nunquam amplius potuit, sed hoc onere oppressa tandem occubuit.

I. Oppressâ Solymâ. *Modus administrandi Quis? Per Herodem Regem Romæ Beneficiariū. A. M. 4017. V. 716.*

I. Modus administrandi hoc Regnum varius fuit, ac multiplex: *Hyrcanus Romæ* Beneficiarius, clavum permisit *Antipatro*, qui Proconsulibus *Syriæ*, *Gabinio*, aliisque veluti Protectoribus usus est. *Herodes* M. *Romano* favore in Regem inauguratus, dejecto *Aristobulo*, Sceptrum *Judæ* in suam Familiam transtulit. Sed postquàm *Herodes* Tyrannicum regimen morte promeritâ finiit, Regnum quatuor in partes â *Romanis* divisum est.

Per Tetrarchas.

II. *Judæa*, quæ sub se continebat *Samariam* & *Idumæam*, *Archelao* permissa est cum titulo *Ethnarchæ*; *Galilæam Antipas*, *Ituræam* ac *Trachonitidem Philippus*, *Abylinam* (quæ potiùs fuit Regio *Syriæ*) *Lysanias* quidam, unà cum Tetrarchæ titulo, per *Tiberium* obtinuêre. *Archelao* in exilium ejecto, *Judæa* in *Roma-*

nam

nam Provinciam mutata, Prætoribus *Syriæ* ſuberat, quos inter *Varus*, qui duo *Judæorum* millia, orta ſeditione, crucibus affixit. Sed *Quirinio Syriæ* Præſide, *Procuratores* miſſi ſunt in *Judæam*, è quibus memorabilis primus *Coponius*, *Valerius Gratus*, *Pontius Pilatus*, qui *Judæam Romanæ* inſtar Provinciæ adminiſtrarânt: Tetrarchis intereà, qualis erat *Antipas*, & ii, quibus *Judæi* Regis titulum honorarium tribuebant, *Romæ* Prætorum more penitùs ſubjectis. Sub *Agrippæ* denique, *Caji*, & *Claudii Cæſarum* favore, *Palæſtina* rurſus in unum Regnum coaluit. Sed *Agrippæ* Filio Sceptrum denuò ſic eſt ereptum, ut Sacerdotii Protectorem potiùs, quàm Regem *Judææ* ageret. Quo tandem *Ieroſolymis* pulſo, hujus Provinciæ regimen ad *Romanos* Prætores penitùs eſt devolutum.

Per Prætores Syriæ:

Per Procuratores Romanos.

Mel. Quinam inter *Judææ* Procuratores omnium fuit famoſiſſimus?

Procuratorum famoſiſſimus Quis? Pilatus.

Leuc. Pilatus, ab Inſula *Pontia*, quâ hoſtes *Romanos* exegerat, dictus *Pontius*; vir Nationis incertæ, qui ſub *Tiberio* in *Palæſtinam* venerat, infauſtis ſanè auſpiciis: Nam *Tiberii* ſimulacra cùm in vexillis nocte concubia *Ieroſolymam* intuliſſet, *Judæi*, leges patrias infringi dolentes, *Cæſaréam* ad *Pontium* convolârunt, ubi quinque dies, ac noctes integras proſtrati in faciem, Idololatrica Schemata ſunt deprecati. *Pilatus* aſcendit tandem tribunal, & ſubornato jam priùs milite, derepentè cingi juſſit inermem turbam, eique ſtrictis gladiis minitatus eſt necem, nî *Cæſaris* placitis obtemperaret. Sed rurſus in terram provoluti omnes, ultrò ſe ſe morti victimas obtulêre, ſpectaculo tam miſerando, ut *Pilatus* tanta Religione attonitus,

Ejus Regimen Quale?

Tyrannicum Quomodo?

imagines *Cæsaris Jerosolymis* denuò amoveret.

Sacrilegum Cur? Expilatis Templi Thesauris.

II. Etiam in Templi thesauros sacrilegas manus injecit, politico prætextu, (*a*) quò aquas in urbem induceret, revera, ut avaritiæ suæ sitim expleret: renitentem Populum baculis sic tangi jussit à milite, ut crudâ morte pars plurima interierit.

Cruentum ubi? In Galilæa.

III. *Samaritanos*, Sectâ *Galilæos*, (*b*) à Sycophanta quodam in montem *Garizim* pellectos, eo fine, ut thesauros absconditos eruderarent, servituros in nervum belli, ad retundenda Dominationis *Romanæ* molimina, *Pilatus* immisso milite obruit, suísque Sacrificiis intentos, morti victimas, commisto sanguine, immolavit.

Impium Quando? In Christi Condemnatione.

IV. *Christum* ipsum, etsi de ejus innocentia certus, politico quodam dictamine non flagellavit modò, sed etiam condemnavit ad mortem, tradidítque voluntati clamantium: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris.* (*c*)

A. Ch. 38. Ejus mors Qualis?

V. Tandem ob crudelitatis, injustitiæ, & avaritiæ scelera delatus est ad *Vitellium*, *Syriæ* Præsidem, qui *Jerosolymam* misso *Marcello* Inquisitore, ubi comperit *Harpyiæ* hujus cruenta vestigia, eam ad *Cæsaris Caji* tribunal detulit, â quo velut *Judææ* depeculator, *Massiliam*, (*d*) juxta alios *Viennam Galliæ*, in exilium est relegatus, ubi evoluto biennio, desperationis furiis agitatus se ipsum gladio peremit, talis Carnifex, qualis in *Christo* Judex, utrobique sceleratissimus.

Status Palæstinæ Ecclesiasticus circa Christi Nati tempora Qualis?

Mel. Quis Status Ecclesiasticus Regni *Judaici* circa tempora *Christi* Nati?

Leuc.

(*a*) *Moreri, & Polygraphia sacra V. Pilatus.* (*b*) *Josephus.* (*c*) *Joan. 19. v. 12.* (*d*) *Moreri in Diction. Hist.*

Leue. Miseranda fuit *Synagogæ*, agonizantis propemodùm, facies. Nam

II. Scisso per Schismata Templo. *Sacerdotium venale Quomodo?*

I. Sacerdotium Summum, postquàm sub *Machabæis* ultimis declinârat in fastum, sub *Herodianis* abiît in contemptum, factúmque *venale* est: sub *Romanis* Prætoribus etiam cœpit esse *servile*, (*a*) adeò ut pro libitu, singulis propemodùm annis, & antiquos deponerent, & pro potestate despotica novos denuò crearent.

Annas Qualis? *A. M. 4062. Ch. 10.*

II Hos inter famosi sunt *Annas* & *Caiphas*: Ille sub *Anani* nomine elevatus ad Mitram à *Quirinio*, *Syriæ* Præside, sed à *Valerio Grato*, *Judææ* Procuratore, depositus, Pontificis nomen retinuit, non potestatem: nomini accessit authoritas tanta, ut *Christum*, quem summo semper odio persequebatur, honoris ergò, per transitum eidem milites sisterent, quò tot votis exoptatâ victimâ Antistitem *Belial* consolarentur.

A. M. 4071. Ch. 19. Caiphas Quis?

III. *Caiphas*, *Simoni* cuidam in Pontificatu suffectus à *Valerio Grato*, factus est *Annæ* Gener, & pro Sponsæ dote omnium scelerum hæreditarium pignus obtinuit. Sub hoc Pontifice factum est Verbum Domini super *Ioannem Baptistam* in deserto. Hic ipse sententiam tulit de *Christo*: (*b*) *Melius est, ut unus homo moriatur, quàm ut tota Gens pereat.* *A. Ch. 38.* Tandem & ipse à *Vitellio* dignitate Pontificia dejectus tanto mœrore contabuit, ut denique sibi ipsi violentas manus intulerit. Hoc ipso (*c*) anno Christi 38. *Annam* quoque malè periîsse testis est *Nicephorus*.

Hæreses Synagogæ quales?

III. Sacerdotio miserè corrupto accesſêre insuper variæ in Synagogis variis hæreses, quæ

(*a*) *Corn. in Jo. c. 18. v. 13.* (*b*) *Joannis 1. c. 11. v. 50.* (*c*) *l. 2. c. 10.*

quæ avitam Religionem, Legémque *Mosaicam* multiplici Schismate corrupêre: tales Sectarios legimus *Pharisæos*, *Sadducæos*, *Samaritanos*, *Hemerobaptistas*, *Herodianos*.

Synagogæ Nomen Unde?

Mel. Quid intelligis nomine *Synagogæ*, cujus frequens ab Evangelistis fit mentio?

Leuc. *Synagoga* sensu duplici in sacro Codice sumitur. (a) 1. Pro tota Congregatione *Judaica*: sic legimus: *Audiat eum omnis Synagoga Israël.* (b) 2. Significabat Oratorium, seu domum orationis pro celebrando Sabbatho: sic dicitur de Christo: *Circuibat JEsus, docens in Synagogis eorum.* (c)

Origo Qualis? Antiquissima.

II. Origo non habetur à captivitate *Babylonica*, ùt quidã existimant, sed est antiquior, (d) cùm etiam tempore Regum, & Judicum *Judæ*; Sabbatha celebrârint, utique non semper in Tabernaculo, vel Templo, quod frequentari semper non poterat. Antiquissimam Synagogam *Judæi* stetisse ajunt in *Masphat*: Domum orationis ibi fuisse colligimus ex libris Judicum & Regum. (e)

Quot? Innumeræ.

III. Synagogæ numeratæ initio paucæ, tandem sic crevit earum numerus, ut *Genebrardo* teste, solummodò *Ierosolymis*, circa *Christi* tempora, quadringentæ, & octoginta numerarentur.

Apparatus, & Usus Quotuplex? Triplex. Ad docendum.

IV. Apparatus erat Cathedra, Tabernaculum, Scamna pro docentibus, & audientibus. Usus triplex. 1. Ad *docendum* (f) nam explicari solebat genuinus Legis sensus; addebantur moralia monita ad audientium salutem: advenis oblatus est honor interrogandi explanandíve textus magìs obscuros, id quod *Christo D. Paulo* & *Barnabæ* contigisse legimus

(a) *Cornel. Fontes Bibli.* (b) *Num. 27. 20.* (c) *Matt. 4. 23.* (d) *Toletus: Torniellus.* (e) *Jud. 11. v. 11. 1. Reg. 7. v. 5.* (f) *Math. 23. 6.*

mus (*a*) 2. Ad *orandum*: unde à *Christo* exprobratum est *Pharisæis*, non quòd in Synagogis orarent, sed quòd orarent, ut ab hominibus viderentur. 3. Ad *punienda delicta* flagellatione, exclusione: sic suis prædixit *Christus*: In *Synagogis flagellabunt vos*: (*b*) & illum cæcum, à *Christo* sanatum, Synagogâ exclusum legimus. (*c*) *Ad orandum.* *Ad puniendum.*

Mel. Quinam fuêre *Pharisæi*, quibus cum *Christo* tot controversiæ? *Pharisæi Qui?*

Leuc. Nominis etymon trahunt â verbo *Farasch*, (*d*) quod idem ac *Segregare*; unde *D. Augustino*, & *Hieronymo* (*e*) dicti sunt *Egregii*, quasi à *grege separati*, & veluti justi â cæteris *divisi*. *Segregati.*

II. E quavis Tribu fieri poterat *Pharisæus*, si modò capax: hinc (*f*) etiam *D. Paulus* de Tribu *Benjamin*, secundùm Legem *Pharisæum* se dixit; & teste D. *Chrysostomo*, (*g*) *Pharisæi* per omnes Tribus fuerant dissеminati. *E quavis Tribu.*

III. *Originem Pharisæorum Serarius* reducit ad tempora *Jonathæ Machabæi*, annis ante *Christum* natum centum supra triginta: fortè illorum natales adhuc longè antiquiores numerat Chronologia. *Origo Qualis?*

IV. *Doctrina* initio erat minimè mala; immò teste Apostolo Gentium, *certissima*: (*h*) cui *Christus* ipse suffragiũ dedit, dum dixit: (*i*) *Omnia, quæ dixerint vobis servate, & facite*: hoc est, *Maldonato* Interprete, servate Legem *Moysis*, quam vobis *Pharisæi* *Doctrina Quæ?*

(*a*) *Luc. 4. 16. act. 13. 5.* (*b*) *Matt. 10. 17.* (*c*) *Joan. 9. 22.* (*d*) *Cornel. à Lap. Fontes Bibl.* (*e*) *15. de verbis Dom. de trad: Jud. super Genes.* (*f*) *Ad Philipp. 3. 5.* (*g*) *Super Matt. cap. 15.* (*h*) *Act. 26. 5.* (*i*) *Matt. 23. 2.*

ſæi interpretantur: quia tamen alibi monuit: (*a*) *Cavete â fermento Phariſæorum,* colligimus eos, ſucceſſu temporis, in varios errores ſenſim prolapſos, factósque hypocritas ex mera malitia concretos: *Secundùm opera eorum nolite facere.*

Errores Qui? V. Errores porrò è variis Authoribus recenſentur ſequentes. (*b*) *1.* Admittebant Fatum, & aſtris plus virtutis tribuebant, quàm oportet, teſte *Epiphanio Cæſareenſi.* 2. Metempſychoſin *Pythagoræ* adſtruebant apud probos, non tamen reprobos: (*c*) unde dixêre quidam, *Chriſtum* eſſe *Eliam*, alii *Ieremiam.* *3.* Traditionibus erant nimiùm agglutinati. *4.* Malè ſentiebant de Filiorum pietate in Parentes. (*d*) *5.* Pejùs de religione juramenti. (*e*) *6.* Rejiciebant Baptiſmum *Joannis.* (*f*) *7.* *Chriſtum* negabant DEUM, & ſummo eum odio perſequebantur.

Diſcrimen inter Scribas & Phariſæos Quale? IV. Diſcrimen inter *Phariſæos*, & *Scribas* hoc interceſſerat: (*g*) quòd *Scribæ* propriè, atque primariò habiti ſint *Legis Periti*; *Phariſæi* verò primariò bonæ vitæ *Sectatores*: unde non omnes *Phariſæi* fuerant *Scribæ*, hoc eſt, excellentes Legis Doctores; nec omnes *Scribæ Phariſæi*, hoc eſt, certæ vitæ rigorem profeſſi, licèt utrumque interdum convenerit apud quoſdam.

Sadducæi Qui? *Mel.* Quinam *Sadducæi*?

Leuc. Nomen vel trahunt â *Sadoc* hujus ſectæ Conditore, vel â *Zadic*, quòd *Iuſtum* significat, quaſi eſſent *Juſtitiæ cultores.* (*h*)

Errores Sectæ Quales? II. Doctrinæ errores fuêre: *1.* Non niſi Pentateuchum admittebant Canonicum: hinc

(*a*) *Matt. 16. 6.* (*b*) *Menochius.* (*c*) *Joſ. lib. 2. Captiv. c. 12.* (*d*) *Matt. 15. 3.* (*e*) *c. 23. 16.* (*f*) *Luc. 7. 30.* (*g*) *Menochius ex Serario, Becano.* (*h*) *S. Hierony. in c. 22. Matt.*

hinc *Christus* non nisi ex his quinque libris resurrectionem illis probârat. 2. Negabant mortuorum anastasin: immò neque *Angelum*, neque *Spiritum* admittebant. (*a*) 3. Negabant traditiones, interpretationes sacræ Scripturæ, vel â Prophetis, vel *Moyse* factas, sed privato sensui inhærebant: hinc nata ingens *Iudæorum* distinctio, dictique alii *Rabbinistæ*, qui *Rabbinorum* expositiones admittebant: alii *Lectionarii*, *Scripturarii*, qui illas respuebant. Hæc viperarum progenies *Christo* erat nunquam non molestissima: nunc enim petebant signum de Cœlo; (*b*) nunc eum tentabant per quæstiones subdolas: (*c*) Hi ipsi Discipulos *Christi* exagitabant, eos in carceres, & in judicium abripiendo. (*d*)

Mel. *Samaritani* unde dicti, & quænam illorum dogmata? *Samaritani Qui?*

Leuc. Nomen trahunt ab urbe & regione *Samariæ*, in quam, abductis *Israëlitis*, â Rege *Salmanassare* plantatæ quædam *Babyloniorum* Coloniæ, quæ â Leonibus infestatæ tam diu, usque dum *Mosaicis* ritibus, ut ut non sine idololatrico stigmate, se se submiserint. Nam constat, hos primos *Samaritani* Schismatis Plastas sic assumpsisse Religionem veram, ut tamen falsam non derelinquerent; *Dagonem* Arcæ, heteroclito fœdere maritantes. Sic *Cuthæi* (pars potissima è transplantatis *Samariæ* colonis) præter DEUM *Israël*, Gallum Gallinaceum; *Babylonii* Gallinam cum pullis; Viri de *Emath* Hircum silvestrem; *Avæi* Canem; Viri de *Sepharvaim* Mulum & Asinum Divinis honoribus coluerunt. (*e*) *Nomen.*

II. Inter

(*a*) *Matt.* 22. 23. (*b*) *Matt.* 16. 1. (*c*) *Matt.* 22. 15. (*d*) *Act.* 4. 3. (*e*) 4. *Reg.* 17. v. 30.

Errores.

II. Inter errores alios negabant. *1.* Quòd in ſolo *Solymæ* Templo oporteat adorare verum Numen: hinc in monte *Garizim* proprium fanum ædificârant, quod ab *Hyrcano* deſtructum, ab *Herode* M. denuò eſt reſtauratum. 2. Non agnoſcebant Summum Pontificem *Ieroſolymitanum*, ſed ſibi proprium eligebant. *3.* Non recipiebant niſi quinque libros *Moyſis*, tanquam Canonicos.

Mel. Quinam fuêre *Hemerobaptiſtæ* & *Herodiani?*

Hemerobaptiſtæ Qui?

Leuc. Illi ſic dicti *Græco* nominis etymo, quod indicat *Lavationem*, qua veluti omnis Sanctitatis compendio, quotidiè ſæpiùs utebantur.

Errores Quales?

II. Cum *Sadducæis* negabant quoque humanam anaſtaſin, & in reliqua morum, & doctrinæ norma hypocriſin *Phariſaicam* ſectabantur.

Herodiani Qui?

III. *Herodiani* juxta quosdam ſic appellati, quòd ablato Sceptro à *Iuda*, *Herodem* vel venditarent tanquam *Meſſiam*; (*a*) vel eundem *Iſraelitici* Regni Reparatorem crederent. Sed veroſimiliùs fuêre *Domeſtici Herodis*, ùt vertit Interpres *Syriacus*, ſive Aulici, quos inter *Manahen*, (*b*) qui conſtituti ad colligenda pro Romanis tributa, *Galilæis* libertatem tuentibus, ſe opponebant: hinc de tributo tentârunt etiam *Chriſtum*, quem eſſe *Galilæum* ſciverant, nec immeritò ab *horum fermento* cavendum eſſe Diſcipulis *Chriſtus* pronuntiârat.

Errores Quales?

Orbis universi ſtatus circa tempora Chriſti Nati Qualis?

Mel. *Judæorum* Republicâ adeò turbatâ; immò & corruptâ ſic Synagogâ, quis fuit Orbis reliqui ſtatus circa tempora *Chriſti* Naſcentis?

Leuc.

(*a*) *Moreri: S. Hier. Dial. contra Lucifer.* (*b*) *Act. 13.* 1. (*c*) *Matt. 16. v. 6.* 11.

Leuc. Ubique Gentium Idololatria dominans tam funestũ induxerat in Orbem chaos, quod penicillo graphico depinxit Apostolus Gentium,(*a*) ut planè fuerit opus Servatore, & quidem Divino, ne hæc Mundi massa, tot sceleribus aggravata, in suum nihilum relaberetur. *III.* Orbe suis merso vitiis.

§. II.

De novo Testamento in genere, & primo tempore vitæ Christi, quod ejus Ministerium præcessit.

Historia Christi Unde?

MEl. Unde petenda *Christi* Servatoris Historia?

Leuc. Ex Novo Testamento, seu Lege nova, & quatuor Evangeliis.

Testamentum Novum Cur?

I. Nam sacri Codicis secunda pars, *Novi Testamenti* nomine appellatur, eò quòd contineat novum fœdus, à DEO cum hominibus initum, Mediatore *Christo*; quódque hic ipse, velut ultimam voluntatem, suo sanguine confirmârat, Executore Divino Spiritu, Testibus Angelis, Martyribus, cunctísque Justis.

Cur Lex Nova?

II. *Lex Nova* dicitur, quia recenter data â *Christo*; Item *Lex Gratiæ*, quia per Spiritûs S. gratiam scripta in cordibus nostris.

Evangelia Quid?

III. *Evangelia* continet, quæ sic dicta ob *faustissima nuntia* de nostra Redemptione, quibus narratur Historia vitæ *Christi*, Mediatoris nostri, & Servatoris.

Differentia inter Antiquum & Novum Testamentum Qualis?

Mel. Quæ differentia Antiqui, & Novi Testamenti?

Leuc. Multiplex:

I. Illud dabat figuras; nam *Christum*, ejúsque

(*a*) 1. *ad Rom. c.* 1. *& alibi.*

In Fine. que Ecclesiam præsignabat sub velo mystico; Hoc amoto sipario dat figuratum, nempe *Christum*, ejúsque Sponsam Ecclesiam sic demonstrat, ut quidquid de *Synagoga* Ancilla legimus, suo modo per Analogiam Ecclesiæ *Christi*, tanquam Sponsæ, sit applicandum: nam sicut Synagoga erecta à *Moyse*, sic Ecclesia est ædificata à *Christo*: sicut Illa gubernata semper fuit à visibili capite, *Moyse* scilicet & Pontificibus Summis; ita Ista à *Christo* & ejus Successoribus Romanis: sicut Illa habuit sua Sacrificia & Sacramenta, ita & Ista, ut reliqua silentio prætereamus.

In Legislatore. II. In Testamento Veteri Deus locutus est per *Moysen*, & Prophetas; in Novo per Filium.

In Fœdere. III. Illud fundatum erat in *Fœdere servili*, seu *Lege Timoris*: hoc in *Fœdere Gratiæ*, seu *Lege Amoris*.

In Jugo. IV. Illius jugum erat *gravissimum*: *(a)* nam præter *Legem Moralem*, Decalogo expressam, continebat *Ceremonialem* varietate; *Iudicialem* severitate durissimam: hujus è contrario *Iugum suave est, & onus leve*.

In Lege. V. Lex antiqua, ut ut bona, non tamen erat perfecta, (*b*) nec sufficiens ad salutem æternam: Lex nova optima est, & perfectissima, conferens gratiam sufficientissimam ad salutem. (*c*)

In Prœmiis. VI. Illius prœmia ordinariè erant terrestria, aut temporalia; Hujus Cœlestia, & æterna.

In obtinenda Salute. VII. In Illo Salus erat per Fidem in *Christum* venturum, (*d*) cum spe redemptionis, bonis operibus conjuncta, sic ut qui nomine *Iudæi*

(*a*) *Act. 15. 10.* (*b*) *ad Hebr. 7. 19.* (*c*) *Joan. 1. 17.* (*d*) *ad Rom. 4. 18. Jac. 2. 21. ad Hebr. 11. 8. Fontes Biblici fol. 46.*

Iudæi, re essent quodammodò jam *Christiani*, utpote quibus per virtutem quandam *Legis Evangelicæ* anticipatam, (*a*) Gratia conferebatur: In Hoc habetur Salus per Fidem debitam in *Christum*, qui jam venit, nósque suo Sanguine redemit.

Mel. Quæ *Divisio* & quæ *Synopsis* Novi Testamenti?

Divisio Novi Testamenti Qualis?

Leuc. Divisio triplex est: *1.* In *Libros quinque Historicos*, quales dicimus quatuor Evangelia, & Acta Apostolorum; in Evangeliis historia vitæ *Christi*; in Actis historia nascentis Ecclesiæ enarratur.

In Libros quinqueHistoricos.

IV. Nova dogmata Christus attulit.

II. In *Libros de Doctrina, & Moribus Christianis*, quales sunt epistolæ S. *Pauli* quatuordecim, cum septem aliis Canonicis, quarum una S. *Jacobo*; duæ S. *Petro*; tres S. *Ioanni*; una S. *Iudæ* adscribitur.

In Libros de Doctrina & Moribus seu Epistolas.

III. In *Libros Propheticos*; qualis est *Apocalypsis S. Ioannis.*

In LibrosPropheticos seu Apocalypsin.

IV. Hoc Novum Testamentum est omnis Christianæ Doctrinæ absoluta epitome: continet enim præcepta, consilia, virtutum omnium motiva, vitiorum amota obstacula, consummatæ sanctitatis adminicula, exemplis *Christi* roborata; novæ Legis Sacramenta; Mysteria, Vitam & Doctrinam *Christi*, miraculis confirmatam; planam ad Cœlum semitam, & beatæ vitæ ideam, ab ipso Servotore nostro nobis relictam.

Synopsis Quæ?

Mel. Quis Evangelii quadruplicis Author? quæ figura, scopus, tempus, idioma, stylus, modus, causa, approbatio, consonantia?

Evangelii quadruplicis Author Quis?

Leuc. *Author* est Spiritus sanctus; Amanuenses sunt quatuor Evangelistæ, *Matthæus* natione *Iudæus*, officio Publicanus; *Marcus* itidem

Spiritus Sanctus. Amanuenses Quatuor Evangelistæ.

(*a*) *S. Th. 1. 2. q. 98. a. 2. ad 4.*

itidem *Iudæus*, post mortem *Christi* ad fidem conversus, Discipulus, & Interpres S. *Petri*; *Lucas* origine Gentilis, *Antiochenus*, professione Medicus, Discipulus S. *Pauli* : *Ioannes Galilæus*.

Figura Quæ? Per quatuor Cherubinos & totidem animalia.

II. *Figuram* dedit *Ezechiel* per quatuor *Cherubin*, & totidem animalia : per *Cherubin* quidem, quia, (a) sicut in Aula Cœlesti quatuor sunt *Cherubini* sive *Sapientes DEI*, ita decuit, ut in Aula Ecclesiæ terrestri quatuor essent *Cherubini* seu Evangelistæ, & *Sapientes Christi*. Per animalia; quia *facies Hominis* denotârat *Matthæum*, qui suum Evangelium exorsus est â Genealogia *Christi* humana. *Facies Leonis* indicaverat *Marcum*, qui incepit â rugitu Leonis, *clamantis in deserto : Pœnitentiam agite &c. Facies Vituli* monstraverat *D. Lucam*, qui initium duxit â Sacerdotio, cujus imago vitulus, consueta Sacrificiis victima. *Facies Aquilæ* præfigurabat *Joannem*, qui volavit ad summa, cœpitque â generatione *Christi* Divina. Immò etiam *Christum* denotabat hæc mystica Prophetæ visio : nam teste *Ruperto*, (b) *Christus est Homo nascendo, Vitulus moriendo, Leo resurgendo, Aquila ascendendo.*

Scopus qualis? D. Matthæi Christi Regia Dignitas. D. Joannis Divina. D. Marci Prophetica. D. Lucæ Sacerdotalis.

III. *Scopus S. Matthæi* fuit describere *Christum* ùt Hominem, & in humana natura commendare Regiam dignitatem. *S. Ioannes* contrà intendit monstrare *Christum* ùt DEUM, ejúsque in Divina natura commendare infinitam Majestatem. *Marcus* pro fine sibi præfixit, demonstrare *Christi* dignitatem *Propheticam*: *Lucas* verò *Sacerdotalem*; nam *Christus* fuit *Homo, Propheta, Sacerdos, Deus.*

IV. *Tem-*

(a) *Cornel. à Lap.* (b) *in 1. Ezech. c. 7.*

IV. *Tempus: S. Matthæus* ſcripſit primus anno *Christi* quadrageſimo circiter; *Marcus* anno *Christi* quinto & quadrageſimo; *Lucas* quinquageſimo tertio, juxta *Baronium* quinquageſimo octavo; *Ioannes* nonageſimo ſexto. juxtà alios nonageſimo nono (*a*) poſt *Christi* natales.

Tempus Quod? Varium.

V. Stylo uſi omnes ſunt ſimplici, ùt haberet plus veritatis, quàm vanitatis: *Idioma Hebraicum* adhibuit *D. Matthæus*, reliqui *Græcum*.

Stylus Qualis? Simplex.

VI. *Methodus:* S. *Matthæus* attendit primariò ad actiones *Christi* atque miracula, & monſtrat impleta in *Christo* eſſe Prophetarum oracula, quia ſcripſit *Iudæis*. *S. Marcus* dat D. *Matthæi* epitomen, adeò ut *Hipponensi* Antiſtiti dictus ſit *Matthæi Pediſſequus & Breviator*. *S. Lucas* ſupplet quædam omiſſa ab utroque, memoratu digniſſima, quæ hauſerat ex ore Apoſtoli Gentium. *S. Ioannes* intendit præcipuè in *Christi* verba atque diſcurſus, ſervátque omnium optimè Chronologicam Hiſtoriæ ſeriem.

Methodus Quæ? diverſa.

VII. *Occaſio, & cauſa ſcribendi: D. Matthæus* ſcripſit ad preces *Iudæorum*, qui erant converſi in *Jeruſalem* & *Judæa*. S. *Marcus* ad preces eorum, qui erant converſi *Romæ*. *S. Lucas* ad nutum *S. Pauli*, & aliorum preces. *S. Ioannes* ad preces Epiſcoporum in *Aſia*, occaſione hæreſis ſuſcitatæ à *Cerintho* & *Ebione*, qui *Christo* Divinitatem impiè denegârant.

Occaſio ſcribendi Qualis? Neophyti. Hæreſes.

VIII, *Approbatio:* Evangelium D. *Matthæi* approbatum eſt ab Apoſtolis: *Marci* à S. *Petro*: *Lucæ* à S. *Paulo*: *Ioannis* ab *Epiſcopis Aſiæ*, cæteriſque Fidelibus.

Approbatio à Quo? Ab Apoſtolis & Eccleſia.

IX. *Mirabilis eſt conſonantia*, quia *diſcors*: nam ſtylo ſæpè diverſi, in ſenſu conſonant: quod

Conſonantia diſcors Qualis? Mirabilis.

(*a*) *Euſebius.*

quod hic tacet, is ſupplet; quod hic breviter, ille fuſiùs; quod hic obſcuriùs, alter clariùs profert in lucem, ſic ut *differentia* non tam ſit *in rebus ipſis*, quàm *in modo illas narrandi*, ùt ſacri Interpretes ad oculum demonſtrant.

Hiſtoriæ vitæ Chriſti diviſio ad captum Qualis? In triplex tempus, ante in & poſt Miniſterium Chriſti.

Mel. Quomodo hiſtoria vitæ *Chriſti* ad captum commodè dividenda, ut faciliùs memoriæ hæreat?

Leuc. Diſpertienda in *triplex tempus*; *1mum* Quod miniſterium *Chriſti* præceſſit. *2dum* Quo miniſterium duravit. *3tium* Quo *Chriſtus* per Aſcenſionem miniſterium finiit. Porrò hæc *Chriſti* vita cùm litteratæ Juventuti è ſacris pulpitis ſat nota meritò ſupponatur, hìc utique non enarranda fuſiùs, ſed ſtrictiùs eſt perſtringenda, tali nempe chronotaxi annorum, geſtorúmque, qua Evangelia quatuor verâ temporis ſerie digerantur, ſicque inter ſe ordinata, totam vitæ *Chriſti* hiſtoriam, velut in epitome ob oculos ponant. (*a*)

Memorabilia in primo tempore, quod præceſſit Miniſterium Chriſti, Quæ? V.

Hic poſtquã conceptus, natus.

Mel. Quid memorabile in primo tempore, quod *Chriſti* miniſterium præceſſit.

Leuc. I. Decretum illud SS. Trinitatis, quo ſtatuit ab æterno, ut Divinum *Verbum*, quod erat in principio apud DEum, humanam aſſumeret naturam in tempore, & Genus humanum, Protoparentum ſcelere afflictum, cœleſti doctrinâ repararet, mortéque redimeret.

Decretum Incarnationis æternum. Nativitas Deiparæ. A. M. 4037. V. 736.

II. Appropinquante ſubin ſtatuto tempore, ſine labe originali concepta, natáque *Maria* eſt, futura Virgo Mater, anno ab Orbe condito ſupra quater milleſimum trigeſimo

(*a*) Videatur *Cornelius à Lap.* ejúsque *Pronotoxis Vitæ Chriſti.*

gesimo septimo, quæ trimula in Templo Numini est præsentata], ubi postquàm decennium exegisset, D. *Iosepho*, Virgini Virgo, est desponsata, quo ipso anno *Ioannem Baptistam* â *Gabriele* (*a*) Archangelo *Zachariæ* annuntiatum, conceptúmque legimus. *A. M. 4041. V. 740.* *A. M. 4051. V. 750. 24. Sept.*

III. Evoluto semestri post Præcursoris conceptionem, quadrimestri post Desponsationem, Cœlo allatum est *Mariæ* Virgini nuntium, Paranympho *Gabriele Archangelo*: mox conceptus ab hac Sponsa Divini Spiritûs DEUS est, sícque, intempestæ noctis silentio, in domo *Nazaretana* peractum illud tot sæculorum negotium, summum scilicet *Dominicæ Incarnationis* mysterium. *Desponsatio. Annuntiatio. A. M. 4052. V. 751. 25. Martij.*

IV. Vix elapsi aliquot dies, cùm instigante D. Spiritu, abiit per montana, *Iosepho* non quidem comite, (*b*) sed tamen minimè inscio; venítque (*c*) quatuor dierum itinere, in urbem *Emaunta*, * & *Zachariæ* domum, milliario ab Urbe distantem, ingressa est. Hîc postquam salutatione sua propheticam reddidisset Cognatam, trimestri propemodùm spatio hospes in *Zachariæ* domo morata est, quo evoluto secuta *Ioannis* Nativitas, velut in aurora, primum dedit orituri Solis præludium. *Visitatio. Joannis Nativitas. 24. Jun.*

V. Eodem anno, ubi post reditum Virginis gravidæ turbatus fuit *Iosephus*, promulgatum est edictum *Augusti Cæsaris* de conscribendo Orbe Romano, natus est *Christus*, Mundi Servator in stabulo *Bethleemitico*, qui die octava (*d*) circumcisus, die tertio deci- *Nativitas Christi. A. M. 4052. V. 751. B. V. 15. Aug. 42. Olymp. 194. A. 3. die 25. Decem.*

(*a*) *Luc. 1. & 2.* (*b*) *Salianus.* (*c*) *Corn. in c. 1. Luc.* (*d*) *1. Jan. A. M. 4053.*

* Juxta alios *Hebron.*

M. 4053. *6. Jan.* *2. Febr.* decimo adoratus à Magis, quadragesimo præsentatus in Templo, mox fugere jussus est in *Ægyptum*, *Herode* interim insana rabie in Innocentum stragem debacchante. (*a*)

Reditus ex Ægypto. *A. M. 4055.* *V. 754.* *7. Jan.* VI. Elapso fermè triennio (*b*) *Christus* ex *Ægypto* redux, usque ad annum ætatis duodecimum in civitate *Galileæ Nazaretana* est educatus. Subin ascendens cum Parentibus *Ierosolymam*, ab iis perditus, & post triduum inventus in Templo est, medius inter Doctores; unde postmodùm reversus in *Nazareth*, *A. M. 4064.* *V. 763.* illisque subditus *proficiebat ætate, sapientia, ac gratia apud DEUM, & homines*, delitescendo ad annum usque ætatis trigesimum, & in Parentis fabrica se exercendo. *

§. III.

De secundo tempore Vitæ Christi, quo Ministerium duravit.

Quæ Divisio secundi temporis, quo duravit Ministerium Christi? *VI.* *Mel.* Quid de secundo tempore, quo duravit Ministerium *Christi*?

Leuc. Memorabilia plurima; & primò quidem ea, quæ egit *Christus* â baptismate usque ad annum Prædicationis primum. 2. Quæ egit Prædicationis anno primo 3. Quæ secundo. 4. Quæ tertio.

Et annos triginta latuit. *Memorabilia â Christi Baptismo usque ad annum primum Prædicationis, Quæ?* *Mel.* Quæ igitur memoratu digna â *Christi* baptismate usque ad annum Prædicationis suæ primum?

Leuc

(*a*) *Matt. 1. & 2.* (*b*) *Salianus*, *Cornel.*

* An *Josephus* anno sequente, nempe *M. 4065. Christi 13.* sit statim mortuus, ùt vult *Salianus*?

Leuc. I. Differentia inter Chronologos. *Differentia hujus temporis inter Chronologos Qualis?*
Qui è *Saliani* computo numerant, hoc intermedium tempus ad usque annuum & trimeſtre ſpatium extendunt, ſic ut *Chriſtus*, anno ætatis trigeſimo ineunte, jam recepiſſet baptiſmum, anno primo non prædicâſſet, ſed tamen vitæ publicæ annos quatuor intra quinque Paſchata expleviſſet: movet *Salianum* 1. ingens Patrum Authoritas. 2. Authoritas D. *Lucæ*: (a) *& ipſe JEſus erat incipiens quaſi annorum triginta.* 3. Authoritas Eccleſiæ, quæ uno die baptiſmum, & primum in *Cana* miraculum celebrat, quæ unum in diem, niſi anno duplici, coincidere haud poſſunt. Contrà ſi *Cornelii à Lapide* chronotaxis tenet, â baptiſmate usque ad annum Prædicationis primum, ſeu Paſcha proximum, non niſi trimeſtre ſpatium interceſſit, nempe â *Ianuario* ineunte anni trigeſimi primi *Chriſti* usque ad vigeſimum quintum *Martii*, quo intervallo eadem *Chriſti* acta, quæ *Salianus* quindecim menſibus, author hic comprehendit.

A. M. 4082. V. 781. Tib. 16. inchoato æt. Ch. 30. completo. Prædicatio Joannis.

II. Anno igitur quinto decimo *Tiberii Cæſaris* completo (b) S. *Ioannes* Præcurſor in deſerto juxta *Iordanem*, monſtravit ſe *Vocem clamantem*, prædicans pœnitentiam, baptiſmum, & viam Servatori *Chriſto* parandam.

A. M. 4083. V. 782. Ch. 31. Chriſti Baptiſmus.

III. *Chriſtus* anno ætatis 31. per dies tredecim inchoato, hoc eſt *Ianuarii* 6. quo ante 30. annos adoratus erat â Magis, Baptiſmum recepit â Præcurſore, ubi â DEO Patre declaratus eſt Filius, & â *Ioanne* proclamatus Meſſias, Mundique Redemptor. (c) Eodẽ die *Chriſtus* ſeceſſerat in deſertum, ubi à ſeptimo hujus

(a) *Lucæ 3. 23.* (b) *Juxta Cornelium à Lapide.* (c) *Matth. 3. v. 17.*

hujus mensis incepit jejunii quadragesimam, finiitque quinto decimo *Februarii*, quo die tentatus â dæmone, reversus est in *Galilæam*, ibique apud Matrem Sanctissimam moras traxit quatuordecim dies, ùt D. *Epiphanius* Author est. (*a*)

Testimonia Joannis de Christo.

IV. Die prima *Martii* (*b*) seu sexta quinquagesima à baptismo (nam annus ille erat bissextus) à *Iudæis* missi legati, requisierunt â *Ioanne*, an ipse esset *Messias?* negavit iterum, iterúmque: & postera die videns venientem *Christum*, hunc ipsum digito demonstrans dixit: *Ecce Agnus DEI.* Idem fecit, dixitque postridie, quo testimonio audito, ex ejusdem Discipulis duo secuti sunt *IEsum*, quorum alter *Andreas Simonem* Fratrem sequenti mox die ad *Christum* adduxerat: hac eadem die *IEsus* in *Galilæam* reversus, vocavit *Philippum*, qui adduxit *Nathanäelem*, ùt Interpretes colligunt ex D. *Ioanne.* (*c*)

2. Martij. *3. Martij.* *4. Martij.*

Miraculum primum.

V. Quinta Martii *Christus* invitatus ad nuptias, aquam vertit in vinum, primo Miraculo, quod *Salianus* in diem *Ianuarii* sextum labentis anni transferre maluit. Subin descendit *Capharnaum*, ùt insinuat D. *Ioannes* Evangelista. (*d*)

Memorabilia anno 1. Prædicationis, hoc est à 25. Martij, seu Paschate primo Quæ? A. M. 4083. V. 782. Ch. 31.

Mel. Quidnam anno primo Prædicationis *Christi* memorabile contigit?

Leuc. Eodem mense *Martio* ejusdem anni trigesimi primi ætatis *Christi*, Servator instante Paschate, *Capharnao Ierosolymã* ascendit, ibique flagello ejecit Nummulatores. (*e*)

VII. Docuit. Colloquium cum Nicodemo.

II. Mox incipiens Apostolicũ prædicationis officium convertit multos, quos inter *Nicodemus Iudæorũ* Princeps, cui necessitatẽ regenerationis per Baptismum, & Fidem in *Christum*

(*a*) *S. Epiph. hæresi 51.* (*b*) *Idem l. cit.* (*c*) *Jo. c. 1. 2. 29. 43. 45.* (*d*) *Joan. 2. v. 12.* (*e*) *Joán. 2. v. 13.*

ftum crucifigendum, familiari colloquio, demonſtravit. (*a*)

III. Sub Aprilis initia Baptiſmum credentibus in *Iudæa* per ſuos Apoſtolos impertivit, *Ioanne Baptiſta* Baptizatos ſuos continuò ad *Chriſtum* ablegante, non ſine Diſcipulorum ſuorum invidiâ, quam tamen ingenti modeſtiâ, & iterato teſtimonio excuſſit: (*b*) *Illum oportet creſcere, me autem minui.*

Fructus Prædicationis, ſub initia Aprilis.

IV. Subin *Ioannes* quaſi ſuo functus officio, cùm adulterium exprobrâſſet *Herodi*, ab eo in vincula eſt conjectus: *Chriſtus* verò Phariſæorum odia fugiens (quorum conſiliis interceptus *Ioannes*) conceſſit in eam *Galilææ* partem, ubi *Capharnaum* & *Betſaida*, quæ *Ioſepho* teſte, non *Herodi*, ſed *Philippo* ſuberat.* At in itinere tranſiens per *Samariam* convertit *Samaritanam* adulteram, ac poſt biduum iter proſequens in *Galilæam*, à *Galilæis* benignè exceptus eſt. Poſt hæc ingreſſus *Canam Galilææ*, ** Reguli Filium liberavit à febri, quod ſecundùm *Chriſti* miraculum ſecuta mox alia, quibus *Capharnai* Prædicationis ſuæ Myſteria confirmavit. (*c*)

Ioannes incarceratus. Sub initia Decembris.

A. M. 4084. V. 783. æt. Ch. 32.

** Sub initia Januarii.*

Samaritanæ converſio.

*** Sub initia Februarij.*

V. Inde præteriens maris *Galilæi* ripam, vocavit ſecundò *Petrum* & *Andream* (*d*) luculento miraculo capturæ piſcium: mox & *Iacobum* cum *Ioanne* Fratre Piſcatores hominum effecit.

Vocatio Apoſtolorum.

VI. His novis Diſcipulis ſtipatus, Synagogam *Capharnai* introivit, ibique prædicans liberavit obſeſſum ab hoſpite impuro: tum ingreſſus *Petri* ædiculam, Socrum ejus immunem fecit à febribus, multóſque alios à morbis variis ſanitati reſtituit. (*e*) Poſtridiè, cùm orandi causâ ſeceſſiſſet in deſertum, repertus

Miracula varia. Circa initium Martii.

(*a*) *Joan. 3. v. 1.* (*b*) *Joan. 3. v. 30.* (*c*) *Matth. 4. 12. & 13.* (*d*) *Matth. 4. 18.* (*e*) *Matth. 8. v. 14. 16.*

pertus â *Petro*, mox quoque â turbis, quas ut fugeret, transfretare juſſit Diſcipulos, ibique ſomno indulgens, tempeſtatem ortam ſuo imperio ſedavit. (*a*)

Ejecti Dæmones.

VII. In ripam expoſitus, venit in regionem *Geneſareth*, ubi ab obſeſſo ſex dæmonum millia ejecit, quibus in duo porcorum millia immiſſis, rogatus eſt ab incolis, ut diſcederet: abſceſſit ingratis è finibus, rurſúsque ſuperato mari *Cæpharnaum* rediit, ubi paralyticum, per tectum ad ſe ſubmiſſum, ſanitati reſtituit. (*b*)

Vocatio Matthæi.

VIII. Inde ad mare egrediens *Matthæum*, ad telonium ſedentem, vocavit: ſubin *Iairi* Filiam ſuſcitavit â morte, & in itinere Hæmorroiſſam â fluxu ſanguinis; duos cæcos â tenebris; obſeſſum â muto dæmonio liberavit. (*c*)

Memorabilia anno 2. Prædicationis Quæ? VIII.

Mundúmque beavit Virtutum exemplis.

A. M. 4084. V. 783. Ch. 32.

** Sub finem Martij.*

Paralyticus ſanatur.

*** Sub finem Aprilis.*

Mel. Quænam memorabilia Prædicationis anno ſecundo?

Leuc. Chriſtus è *Galilæa Ieroſolymam* profectus,* ibidem reſtituit ægrotum ad piſcinam, juſsitque grabatum ſuum tollere die *Sabbathi*, quæ res offendit *Iudæos*: (*d*) mox *Phariſæos*, cùm Diſcipulos carperent ob avulſas *Sabbatho* ſpicas, nervosè repreſſit. ** Idem præſtitit, cùm alio *Sabbatho* manum aridam homini miſero reſtituiſſet: (*e*) unde *Iudæorum* iras declinans, recepit ſe ſe ad mare, ibique docuit Turbam, & ægros plurimos, dæmoniiſque vexatos, thavmaturgâ dexterâ ſanavit. (*f*)

Electio 12. Apoſtolorum. Sub medium Maij.

II. Inde ſecedens in montem, cùm noctem vigilâſſet orando, manè duodecim elegit Apoſtolos, quos allocutus, corã ingenti multitudine homi-

(*a*) *Matth. 8. 23. & c. 9. 1.* (*b*) *Matth. 9. v. 2.* (*c*) *Matth. 9. v. 9. 18. 20.* (*d*) *Jo. 5. 2.* (*e*) *Matth. 12. 2.* (*f*) *Matth. 12. 15.*

hominum, ſermonem habuit, qui in ſe continet epitomen Evangelicæ perfectionis. (a)

Miracula varia.

III. Deſcendens de monte in agro *Capharnaënſi* mundavit leproſum: Urbem ingreſſus Servum Centurionis, non ſine encomio tantæ fidei, paralyſi liberavit: tum in Civitatis *Nain* ſuburbiis Filium viduæ ſuſcitavit â morte. (b)

Legatio Joannis è carcere.

IV. His auditis prodigiis, *Ioannes* è carcere duos mittit diſcipulos, ut à *Chriſto* diſcerent, ipſum eſſe Meſſiam; quibus ad *Ioannem* regredientibus *Chriſtus* laudat Præcurſorem, carpit Scribas, & Phariſæos incredulos, eiſque præfert Publicanos, & meretrices pœnitentiam agentes. (c)

Magdalenæ converſio.

V. Hinc hoſpes apud *Simonem* Phariſæum, *Magdalenæ* pœnitenti ſcelera condonat, eamque *Simoni* præfert: (d) * mox *Capharnai* mutum, & cœcum â dæmonio liberat, & Phari-

* *Quæres:* An una vel multiplex fuerit *Magdalena*, quæ pedes *Chriſti* inunxerat? ℞. *Origenes* fuiſſe tres: Unam, quæ *Chriſtum* unxit biennio ante Paſcha, de qua unctione *Lucas c. 7. v. 37.* Secundam, quæ ſex diebus ante Paſcha, de qua *Joannes c. 12. v. 1. &c.* Tertiam, quæ biduo ante Paſcha, de qua *Matthæus c. 26. v. 2. 6. & 7.* 2. *S. Joannes Chryſoſtomus* geminas adſtruit, peccatricem *Galilæam; Bethanicam* ac ſanctam. Sed Communior cum S. *Cypriano, Ambroſio, Auguſtino* &c. ſolummodò unicam agnoſcit: Quia *Magdalena Bethanica*, quæ teſte *Joañe Chriſtũ* unxit in domo *Simonis leproſi* ſex diebus ante Paſcha, eſt eadem cum illa, quæ *Chriſtum* unxit biennio ante Paſcha: nam *Joannes c. 11. v. 2.* loquens de *Magdalena Bethanica*, expreſsè ait, eam eſſe, *quæ unx-*

(a) *Matth. 5. 1.* (b) *Matth. 8. 1. & 5.* (c) *Matth. 11. 2. & 7.* (d) *Luc. 7. 36.*

Pharisæos hæc prodigia, quasi magica carpentes, confutat. (a)

Cognati sanguinis contemptus. VI. Advolant Cognati *Christi*, ut eum veluti furiosum ligent: (b) nuntianti adesse Cognatos suos, reponit, Fratres & Cognatos esse eos, *qui audiunt Verbum DEI, & custodiunt illud.* (c)

Doctrina in Parabolis. VII. Egressus ad mare turbam docet Parabolis variis, nempe seminis, zizaniorum, fermenti, sinapis, quas domi Discipulis explanat, addens alias thesauri, margaritæ, sagenæ missæ in mare. (d)

Christus non acceptus in Patria. VIII. Pergens in *Nazareth*, ibique prædicans in *Synagoga*, non est auditus; immò ejectus, & propemodùm præcipitatus è monte; unde vicinas urbes & vicos, Divini Verbi semina spargendo, cum suis pertransit. (e)

Apostolorum Apostolica missio. IX. Apostolos mittit binos & binos ad Regnum DEI annuntiandum; illi prædicant, dæmo-

unxisset Dominum unguento, utique biennio ante Pascha, cùm sextus dies, præcedens Pascha, tunc needum adfuisse colligatur ex illo S. Scripturæ loco. 2. Quia facultas Theologica *Parisina A. 1521. die 7. Dec.* post libratas maturè sententias varias pro *unica Magdalena Bethanica* pronuntiavit, dicens: *hanc sententiam Evangeliis conformiorem; oppositam verò non tolerandam. Nec obstat* 1. *mò.* quòd ex *Matthæo c. 27. v. 55.* videatur colligi, unam esse *Galilæam*: nam eadem *Magdalena* potuit esse *Bethanica* ratione *prosapiæ*, & *Galilea* ratione *habitationis*: cùm eam, ùt peccatricem, vel in Urbe *Naim*, vel in arce *Magdali Galilæâ* commoratam velint. *Neque obstat 2dò* quòd secunda unctio sextiduo, & alia biduo

(a) *Matth. 12. 22. 24.* (b) *Marc. 3. 21.* (c) *Marc. 13. 34.* (d) *Matth. 13. 1.* (e) *Mar. 6. 6.*

dæmones pellunt, ægros ſanant, *JEſu* interim *Galilææ* oppida obeunte. (*a*)

X. Hæc audiens *Herodes*, *IEſum* putat *Ioannem* ſuſcitatum à morte: (*b*) hinc ejus inſidias declinans *Chriſtus*, ſecedit cum ſuis trans mare *Galilææ* in deſertum, ibique quinque millia hominum quinque panibus, totidémque piſcibus ſatiat: cúmque adverteret, ſe à Populo creandum Regem, Diſcipulis transfretare juſſis, ipſe fugit in montem ſolus, noctémque precibus impendit. Sed ſuis in mari periclitantibus, ambulans ſuper undas, *Petrum* titubantem in fide, jam jámque mergendum erigit, procellas maris compeſcit, ac expoſitus in terra *Geneſaret* ægros omnes ſolo attactu fimbriæ ſanitati reſtituit. (*c*) *Miracula varia. Quinque panibus. Liberato Petro. Tempeſtate ſedata.*

XI. Poſtridiè, multis ob panes tanto prodigio multiplicatos, eum ſequentibus, Auditores animat ad deſiderandum Panem *Doctrina de Pane cœleſti.*

biduo ante Paſcha contigerit: nam una fuit & eadem, facta ſex diebus ante Paſcha, eò quòd *Matthæus* & *Marcus* eandē non narrent *ut factam* biduo ante Paſcha; ſed per recapitulationem, non ſervato temporis ordine, eandem adducant, velut *occaſionem* proditionis, à *Juda* quæſitæ biduo ante Paſcha. *Nec obſtat 3. tiò.* quòd unctio ſextiduo antecedens Paſcha legatur apud *Matthæum* fuiſſe ſupra caput *Chriſti*: & altera, prior biduo, apud *Joannem* dicatur facta ſupra pedes: nam Interprete *D. Auguſtino l. 2. de conſenſu Evang.* unctis pedibus, vas denique totum confractum in caput *Chriſti* effudit devota Mulier: non enim *Evangeliſtæ* dum unum adſtruunt, alterum excludunt. *Nec obſtat denique 4. tò.* quòd

(*a*) *Matth. 10. 1. & 11. 1.* (*b*) *Luc. 9. 7.*
(*c*) *Matth. 14. 13. 22. 24. 34.*

nem cœlestem, qualem se se esse, luculentis testimoniis demonstravit. (a)

Memorabilia anno tertio Prædicationis Quæ?

Mel. Quæ memorabilia Prædicationis anno tertio?

A. M. 4085. V. 784. Ch. 33.

Leuc. Hoc tertio Paschate *Christus Ierosolymam* non ascendit, propter structas â *Judæis* insidias; sed secessit in *Galilæam*, ubi illotas Discipulorum manus contra illota Scribarum ora defendit. (b)

**Sub finem Martij.*

IX.

Ac per miracula mille restituit.

II.* Inde abiît in partes *Tyri*, ac *Sidonis*, ubi *Chananææ* Filiam liberavit â Dæmone; subin regressus in *Galilæam*, inter alios, surdum simul & mutum restituit. (c)

**Sub initium Maij.*

Miracula varia.

Multiplicatio panum.

III. Mox turbæ sequentis misertus septem panibus, paucísque pisciculis, quatuor millia hominum refecit: deinde conscensa navi delatus est in fines *Magedan*. (d)

Reprehensio Pharisæorum & Petri.

*** Sub finem Julii.*

IV. Ibi *Pharisæos*, signum petentes, coarguit, cúmque transfretaret denuò, Discipulos monuit, caverent â fermento Pharisæorum; *Betsaidam* veniens, extra vicum, oculos cæco aperuit;** inde profectus in partes *Cæsareæ Philippi*, *Petrum* ob Fidem Petram futurum edixit, sed mox abhorrentem â cruce, severè coarguit. (e) V. Ascen-

quòd unctio, sextiduo prior, facta sit in domo *Simonis*; prior biduo facta sit in domo propria *Magdalenæ*, ùt colligi videtur ex *Joañe. c. 12. v. 2. Fecerunt ei cænam ibi, & Martha ministrabat.* Nam sensus est: *fecerunt ei Cœnã* simpliciter, nempe *Bethaniæ* Cives, quorum primarius erat *Simon Leprosus*, in cujus domo fiebat, ministrante *Martha*, ùt textum interpretantur *Vinc. Bellovacensis* & alii. *Vide Petrum Annatum in Appar. ad Theol. posit. Lib. 2. Dub. 17.*

(a) *Jo. 6. 24.* (b) *Matt. 15. 1.* (c) *Matth. 15. 21. & 29.* (d) *Matth. 15. 32. & 39.* (b) *Matth. 16. v. 1. 13. & 21:*

V. Ascendens montem *Thabor* transfiguratus est coram *Moyse* & *Elia:* sequenti die ejecit dæmonium, quod sine oratione atque jejunio Discipuli pellere nequibant: transiens *Galilæam* prædixit mortem suam, atque anastasin, ingressúsque *Capharnaum* didrachma solvit pro se, & *Petro.* (a)

Transfiguratio.
6. Augusti.
7. ejusdem.

VI. Ibidem redarguit fastum Apostolorum, qui in itinere de primatu contenderant: docuit cavenda scandala, correptionem fraternam, adjectâ de immiti servo parabolâ. (b)

Doctrina varia.

VII. Post hæc *Ierosolymam* ascendit ad festum Scenopegiæ, sed in occulto: in itinere malè acceptus â *Samaritanis*, *Iacobo* & *Ioanne* vindices de Cœlo flammas suadentibus, docuit Spiritum Charitatis: unde & decem mundavit Leprosos, ac *Samaritanũ*, præ cæteris gratum, encomiis extulit. *Ierosolymam* ubi pervenit, sermone adeò potenti allocutus est Auditores, ut etiam ceperit illos, qui illum capturi advenerant: sub vesperum in *Oliveti* montem oraturus concessit. (c)

29. Septembris.
Ascensus ad festum Scenopegiæ.
6. Octobris.

VIII. Postero die egressus in Templum *Christus*, exaratis in terra litteris, absolvit adulteram: tum dicens se DEI Filium, cùm *Judæi* lapides tollerent, occultè se se surripuit è Templo. Inde cæcum natum, luto oculis illito, illuminavit: denique fassus se se bonum Pastorem, de Mercenario, ovibúsque plura differuit. (d) *

Absolutio adulteræ.

IX. Discedens *Ierosolymis* peragravit vicos, & septuaginta duos Discipulos cum Aposto-

Mandatum de diligendo Proximo.

(a) *Matth. 17.v. 1. 14. 22. & 24.* (b) *Matth. 18.v.1.* (c) *Jo. 7. v. 2.* (d) *Joan. 8. v. 3. & c. 9. v. 1. & c. 10. v. 1.*

* Hucusque ordo Chronologiæ certus *Cornelio* teste: qui sequitur probabili ore è calculo desumptus est.

Apoſtolicis mandatis miſit *in omnem locum, quò erat ipſe venturus.* (*a*) Tum tentatus à Legisperito, mandatum de diligendo Proximo declaravit in parabola *Samaritani.* (*b*)

Menſe Novembri.

Subin Hoſpes exceptus à *Martha* & *Magdalena*, hujus otium ſollicito illius miniſterio prætulit. (*c*)

Modus orandi, & varia monita.

X. Poſt hæc Diſcipulos docuit orandi modum per orationem Dominicam, ſuasitque in oratione perſeverantiam, exemplo importuni Affinis, noctu panes expoſtulantis potiùs quàm petentis. (*d*) Invitatus dein ad convivium à *Phariſæo, Phariſaicæ* ſuperbiæ atque hypocriſi lixivium affudit. (*e*) Interpellatus pro jure dicundo circa fratrum hæreditatem, curam ſuaſit non temporalium, ſed cœleſtium & æternorum. (*f*) Mox audito nuntio de *Galilæis*, à *Pilato* occiſis, ad pœnitentiam hortatus eſt ſuos, ne ſimiliter, ſterilis inſtar ficûs, exſcinderentur. (*g*)

Sanata Mulier contracta.

XI. Quondam Sabbatho, cùm ſanâſſet Mulierem contractam, ab Archiſynagogo reprehenſus, religionem ejus præpoſteram confutavit, ac per parabolas grani ſinapis fermentíque, prædixit Evangelicam ſementem, à parvis initiis ad incrementa maxima deventuram. (*h*)

Electorum numerus.

XII. Rogatus de numero ſalvandorum, arctam viam edocuit; eodem die monitus de inſidiis *Herodis*, non ab illo, ſed à *Ieroſolymæ* incolis ſe mactandum, eóſque à *Tito* vaſtandos prædixit. (*i*)

Parabola de cœna.

XIII. Sabbatho cùm in convivio Principis *Phari-*

(*a*) *Luc. 10. v. 1.* (*b*) *Luc. 10. v. 30.* (*c*) *Lucæ 10. 38.* (*d*) *Luc. 11. 5.* (*e*) *Luc. 11. 37.* (*f*) *Luc. 12. 13.* (*g*) *Luc. 13. 1.* (*h*) *Luc. 13. 10.* (*i*) *Luc. 13. 23. & 31.*

Pharisæorum sanâsset hydropicum, id esse lícitum demonstravit, docuítque convivas Modestiam in capessendo ultimo loco; Misericordiam in parabola cœnæ, ubi excusantibus se se divitibus admissi pauperes; insinuans *Iudæos* relinquendos ob fastum, & Gentes humiles ad Cœleste convivium invitandas. (a) *Mense Decembri.*

XIV. Affluenti Turbæ revelavit characteristicas genuini Discipuli esse 1. Renuntiare terrenis affectibus. 2. Tollere crucem. 3. Bellantis instar, atque ædificantis suas priùs explorare vires, an ad tam ardua plenè sufficiant. (b) *Notæ genuini Discipuli.*

XV. *Jerosolymam* reversus ad Festum *Encœniorum*, cùm rogaretur â *Iudæis*, *Christum* se se professus est: mox illorum furori se se subducens, in *Bethabara*, ubi *Ioannes* baptizârat, secessit, ibique Publicanos docuit, ac curavit: murmurantes *Pharisæos*, quòd peccatores reciperet, confutavit parabolâ oviculæ errantis, drachmæ perditæ, & Filii prodigi. (c) Illorum insuper avaritiam castigavit exemplo Villici iniqui, & divitis Epulonis. (d) Denique ibidem de divortio cum his Gerronibus disputans, cœlibatum conjugio prætulit. (e) *Pharisæorum hypocrisis in parabolis castigata. 7. Decembris.*

XVI. Ad anni ineuntis exordia, Discipulos docuit de cavendis scandalis, de fide augenda, de servo arante. (f) Paulò pôst* *Pharisæorum* superbiam confudit parabolâ *Publicani* in Templo orantis cum *Pharisæo*: exemplo insuper parvulorum, quibus impositis manibus benedixit. (g) *Denuò confusa eorum superbia. A. M. 4086. V. 785. * Ineunte Februario.*

XVII. Adolescenti diviti, cùm nequicquam *Divitum difficilis salus.*

(a) *Luc. 14. 1.* (b) *Luc. 14. 25.* (c) *Luc. 15. v. 1. 4. 8. & 11.* (d) *Luc. 16. 1.* (e) *Matth. 19. 3.* (f) *Luc. 17. v. 1. 5. & 7.* (g) *Luc. 18. v. 9. & Matth. 19. 13.*

quam suasisset paupertatis consilia, divitum sortem ingemuit, & Discipulis centuplum unà cum perenni beatitudine promisit. (*a*) Denique per operariorum parabolam ostendit primos in Cœlo fore novissimos, multósque esse vocatos, paucos tamen esse electos. (*b*)

§. IV.

De tertio tempore vitæ Christi, quo per Ascensionem Ministerium finiit.

Tertium tempus, quo completum Christi Ministerium, Quid continet?

X.

Tandem passus non fanda, Crucíque affixus.

A. M. 4086. V. 785. Ch. 34. Prædicat. 4. inchoato.

Mel. Quid de tertio tempore, seu anno Prædicationis ultimo, quo *Christus* Ministerium complevit?

Leuc. Primò continet acta à suscitato *Lazaro* usque ad Cœnam, seu Pascha quartum. 2. Seriem Passionis Dominicæ. 3. Resurrectionis usque ad Ascensionem gloriosam, qua suum denique Ministerium finiit.

Memorabilia usque ad cœnam ultimam, seu Pascha quartum Quæ? Suscitatio Lazari.

Mel. Quid memorabile à suscitatione *Lazari* usque ad Cœnam, qua *Christus* Pascha ultimum celebravit?

Leuc. I. Postquàm suscitatus est à *Christo Lazarus* in *Bethania*, * Pontifices & *Pharisæi* convocârunt Concilium, ibíque *Caipha* Antistite, capitalem in *Christum* tulêre sententiam. Hoc sciens Servator secessit ad *Judææ* fines in urbem *Ephrem*; mox instante Paschate ascendit *Ierosolymam*, & in via edixit suis Discipulis, instare sibi probrosam crucem, violentam mortem, séque ultrò pergere ad utramque. (*c*)

**Post initium Martij.*

II. Jo-

(*a*) *Matth. 19. 23.* (*b*) *Matth. 20. 1.* (*c*) *Matth. 20. 17.*

II. *Joannes* & *Jacobus*, rati, *Christum* ascendere *Ierosolymam*, Regni sui capessendi ergò, per Matrem petiêre Primatum: Sed *IEsus* pro Regno illis obtulit Calicem passionis. *(a) Ierichuntem* cùm venisset, *Zachæum* convertit; inde pergens *Ierosolymam* duos cæcos illuminavit, ac ante sex dies Paschæ venit *Bethaniam*.

Zachæi conversio.

Die Ven. ante Dom. Palmarum Sabbatho.

III. Postero die cœnam sumpsit cum *Lazaro* in domo *Simonis* leprosi, ministrante *Martha*; *Magdalena* verò unguentum nardinum in ejus Caput effundente: (*b*) murmuraverat *Iudas*, â *IEsu* pro meritis reprehensus.

Cœna in domo Simonis leprosi.

IV. Postridiè, nempe Dominica Palmarum, *Bethaniâ* profectus *Betphagen*, in asina triumphantis in morem, inter Populi jubila, *Messias Solymam* est ingressus; cúmque mœnibus appropinquaret, Urbi illacrymatus, excidium prædixit. (*c*)

20. Martij. *Solennis ingressus Jerosolymam.*

V. Urbem ingressus, Templum adiit, ibique multos sanavit, frendentibus idcircò *Pharisæis*: excitati quoque Gentiles, ut eum viderent, & noscerent: unde vox de Cœlo lapsa *IEsum* glorificârat. Eodem die sub vesperum Urbe egressus est in *Bethaniam*. (*d*)

Acta in Templo.

VI. Altero die regressus in Urbem maledixit ficui, fructibus carenti, & denuò ejecit Numulatores è Templo. (*e*) inde cùm tota die docuisset, vespere rursus *Bethaniam* rediit. (*f*) Postero mane denuò *Ierosolymam* reversus, cùm Discipuli ficum arefactam stupescerent, quanta esset vis vivæ fidei, & orationis ostendit. (*g*)

Lunæ 21. Martij. *Maledictio ficûs.*

Martis 22. Martij.

VII. Inde more suo docens in Templo, *Pha-*

Disputatio cum Pharisæis in Templo.

(*a*) *Matth. 20. v. 20.* (*b*) *Matth. 26. .7* (*c*) *Matth. 21. 1.* (*d*) *Matth. 21. 12. & 17.* (*e*) *Marc. 11. v. 11. & Jo. 2. v. 14.* (*f*) *Corn. in Jo. 2. 13.* (*g*) *Matth. 21. v. 18.*

Pharisæos obstrepentes repressit, eísque excidium est minitatus. Hi, ut *Christum* caperent in sermone, captiosas quæstiunculas proposuêre de censu, resurrectione, mandato maximo, quas ipse divinissimè resolvit: cúmque vicissim quæstionem proponeret de *Messiæ* Divinitate, hiantium ora obstruxit, & insignem hypocrisin, superbiam, aliáque vitia castigavit. (*a*)

Consumationis sæculi signa prædicta.

VIII. Mox sedens contra Gazophylacium, pauperis viduæ minuta duo cæterorum oblationibus prætulit: egressus Templo, Discipulis Majestatem fabricæ demirantibus, ejus excidium prædixit. (*b*) Inde progressus in montem *Olivarum*, cùm Discipuli tempus exquirerent Judicii ultimi, signa aperuit consummationis cùm Urbis, tum Orbis: diem tamen incertum voluit, ut omnes vigilarent, quam vigilantiam parabolis Virginum, Servi pigri, diluviíque Noëtici exemplo commendavit. (*c*)

Mercurij 23. Martij. Judæ proditio.

IX. Feriâ quartâ, cùm *Christus* se post biduum crucifigendum prædixisset, *Iudas* abiît, & de Servatore vendendo triginta pactus argenteos, ejusdem tradendi cum *Iudæis* consilia iniît. (*d*)

Series Passionis Dominicæ Quæ?

Mel. Quæ series Passionis Dominicæ?

Jovis 24. Martij. Cœna Paschalis.

Leuc. I. Præmisso *Petro* & *Ioanne* *Ierosolymam*, ad parandam Agni Paschalis cœnam, secutus *Christus* ipse sub vesperum, cum Discipulis celebravit Pascha, lotísque suorum pedibus sacram Eucharistiam instituit, eámque distribuit discumbentibus. Mox *Iudam* proditorem indicavit, qui manifestatum se sentiens, ad perficiendum scelus egressus est. Con-

(*a*) *Matth. c. 22. 15. c. 23. 1. Mar. c. 12. 13. & c. 13. 15.* (*b*) *Mar. 12. 41. c. 13. 1.* (*c*) *Matth. 24. 3. & c. 25. 1.* (*d*) *Matth. 26. v. 1. 14.*

Contendentes rursum de Primatu Discipulos, præcepto demissi animi repressit; novum charitatis mandatum dedit; Discipulorum fugam, *Petri* inconstantiam prædixit: ob hanc causam mœstis Discipulis valedicens, longum sermonem amore & spiritu æstuantem texit. (*a*)

II. Eadem nocte, hymno dicto, Urbe egressus in montem Olivarum, secessit oraturus in hortum *Getsemani*, ac seorsim coram *Petro*, *Iacobo*, & *Ioanne* pavorem suum, ac tœdia manifestavit. Secuta oratio, agonia, & sanguineus sudor, usque dum confortatus ab Angelo, ultrò se se *Iudæ* osculandum, ac *Iudæis* vinciendum tradidit, cunctis Discipulis fugâ se subducentibus. (*b*) *Præparatio ad Passionem.*

III. Vinctus ergò *Iesus*, ductus est primò ad *Annam*, mox ad *Caipham*, ubi â satellite alapâ percussus, â falsis testibus accusatus; cúmque *Messiam* se diceret, ùt blasphemus condemnatus, â *Petro* negatus, variisque ludibriis illa nocte fuit exagitatus. (*c*) *Judicium Pontificum.*

IV. Feriâ 6.tâ, manè in Concilio rursum condemnatus à *Caipha*, atque *Pilato* traditus est: id videns *Iudas*, projectis in Templo argenteis, laqueo se suspendit. (*d*) *Veneris 25. Martij. Proditoris Supplicium.*

V. Pilatus cognitâ causâ, cùm utraque manu palparet & *Christi* innocentiam, & Accusatorum invidiam, judicium transtulit ad tribunal *Herodis*: sed remissum denuò *IEsum*, postquàm liberandi illius causam frustrà egerat iniquus Judex, Innocentiam agnitam composuit sceleri, nempe *Barrabæ*; flagellis immanissimis castigavit; spineáque illusum co- *Judicium Pilati.*

 ronâ

(*a*) *Matth. 26. 17. &c. Jo. c. 14. usque ad 18.* (*b*) *Matth. 26. 31. &c.* (*c*) *Jo. 18. 13. &c. Cornel. Matth. 26. 59. &c.* (*d*) *Matth. 27. 1. &c.*

ronâ furiosæ Plebi proposuit: tandem politico *Cæsaris* timore perterrefactus, lotis manibus, tradidit affigendum probrosæ Cruci. (a)

Mors Christi. VI. *Christus*, Cruce sua onustus, postquàm succollante *Simone Cyrenæo*, plangente mulierum turbâ, montem *Calvariæ* attigit, in Crucem suffixus est, medius duos inter latrones, apposito titulo: *IEsus Nazarenus Rex Iudæorum.* Ibi per Principes Populi diris blasphemiis exagitatus, Sole ipso totius Naturæ mœrorem contestante, circa horam â meridie tertiam, clamore valido, exspiravit. Mortui latus, lanceâ transfixum, fontem vitæ nobis aperuit. Dein corpus de Cruce depositum, unguentis conditum, â *Iosepho* ab *Arimathia*, & *Nicodemo* terræ mandatum est: sepulchro custodes sunt à *Pilato* appositi, illúdque lapide clausum est, ac obsignatum. (b)

Ac Sepultura.

Resurrectionis series Quæ?

Mel. Quænam Resurrectionis series usque ad gloriosam *Christi* Ascensionem?

XI. Patrium conscendit Victor Olympum.

Die Dominica 27. Martij.

Apparitio prima Magdalenæ & mulieribus.

Leuc. Cùm *Christus* die tertia resurrexisset à mortuis, ante auroram lapidem removit Angelus, & custodes exterruit. Subin fœminis manè approperantibus, testis Genius cœlestis nuntiavit Servatoris anastasin: id ubi indicâssent Apostolis, explorata â *Petro* & *Joanne* est nuntii veritas. Secutæ mulieres denuò, *Magdalenâ* ad sepulchrum hærente, quæ mox prima sub Hortulani schemate, Magistrum videre promeruit. * Cùm visionem narraret Mulieribus

(a) *Matth. 27. &c.* (b) *Matth. 27. &c.*

* Primò apparuisse Divinæ Matri, etsi S. Scriptura id apertè non asserat, nemo prudens dubitare poterit, Teste S. *Ignatio Loyola in lib.*

bus iisdem occurrit *JEſus* viſibilis, dixitque: *Avete*. Hæc prima *Chriſti* eſt apparitio in Sacro Codice expreſſa. (*a*)

II. Mulieribus teſtantibus *JEſum* reſurrexiſſe, cùm non crederent Apoſtoli, ſecundò apparuit *Chriſtus* ipſi *Petro*. (*b*) *Secunda Petro.*

III. Eadem die Dominica apparuit duobus Diſcipulis euntibus in *Emmaus*, ac veſpere in cœna ex fractione panis noſcendum ſe præbuit. (*c*) *Tertia euntibus in Emmaus.*

IV. Eadem die ſub veſperum videndum ſe ſe ſtitit Diſcipulis undecim, abſente *Thoma*, in cœnaculo, ubi cum eis cœnam ſumpſit, deditque poteſtatem remittendi peccata. (*d*) *Quarta Diſcipulis undecim.*

V. Viſibilis factus eisdem octava die, præſente *Thoma*, cui vulnerum cicatrices palpandas exhibuit. (*e*) *Quinta Iisdem præſente Thoma. 3. Aprilis.*

VI. Apparuit rurſus in littore Diſcipulis ſeptem, piſcantibus in mare *Tiberiadis*, ab iiſque ex ingenti piſcium captura agnitus, dixit *Petro: Paſce oves meas*. (*f*) *Sexta Iisdem piſcantibus.*

VII. Rurſus ſpectandum ſe præbuit Apoſtolis, cæteriſque Fidelibus in monte *Galilææ*, quem eis jam anteà deſignârat, ubi eos juſſit omni Creaturæ ſanctum Evangelium prædicare *Septima Iisdem in monte Galilææ.*

lib. Exerc. f. 195. Primò apparuit Dominus Matri ſuæ, poſtquàm reſurrexit, cùm dicat Scriptura, quòd apparuit multis. Licèt enim nominatim illam non exprimat; id nobis tamen reliquit pro certo, tanquàm intellectum habentibus: ne alioquin jure audiamus illud: Adhuc & vos ſine intellectu eſtis?

(*a*) *Matth. 28. &c.* (*b*) *Lucæ 24. 34.* (*c*) *Luc. 24. 13.* (*d*) *Jo. 20. 19.* (*e*) *Jo. 20. 24.* (*f*) *Jo. 21. 1.*

care, ac prodigiis confirmare. (a)

Octava Iisdem in monte Oliveti. 5. Maij. Quo ascendit in Cœlum.

VIII. Denique quadragesimo die post suam anastasin educens suos in *Oliveti* montem, promisso Spiritu Sancto, & impertita benedictione Divina in Cœlum gloriosus ascendit, ibique sedens ad Patris Divini dexteram, agit humani Generis Mediatorem, & inde Ecclesiam suam gubernat, usque dum ex Militante denique faciat Triumphantem. (b)

Observationes.

Mel. Quæ Observationes Politicæ?

Observationes Politicæ Quæ? Præludia interitûs Judaici Regni.

Leuc. I. *Iudææ* Regnum, ab *Assamonæis* ad *Herodianos* translatum, varia instantis interitûs dedit præludia. Quid enim tam multiplex, sæpiùsque mutatus regiminis status? Quid Hæresum tumultuantium Schismata? Quid Regum cruenta Ambitio, Prætorum injusta molimina aliud erant, quàm funesta symptomata, quæ Reipublicæ interitum augurabantur?

Mundi Judicia Divinis opposita.

II. *Judææ* Regnum *Romano* jugo subjectum, libertatem â Messia speraverat, armorum potentiâ, Majestatis humanæ gloriâ vindicandam: *Nos autem sperabamus, quia Ipse redempturus esset Israël.* (b) Sed quàm humanæ prudentiæ abscondita sunt DEI consilia! Libertatem ab invisibili peccati jugo, à servitute dæmonis daturus venerat *Christus*; Regnum Cœleste, non terrestre, virtutibus, non armis nobis quærere satagebat: *Regnum meum non est de hoc Mundo.* (c) ut videas, quàm nihili pendantur à DEO Sceptra; quàm Curiarum curæ, nî referantur ad DEUM, levi curæ sint Superis; quàm Regum negotia, Aularum dictamina, Politicorum molimina, sint

Curiæ

(a) *Matth.* 28. 19. (b) *Luc.* 24. 50. (c) *Luc.* 24. v. 21.

Curiæ Cœlesti contraria, ut vix meliùs doctrinam, *Christíque* vitam definias, quàm si appelles meram mundanæ vitæ antithesin.

III. Steterat jam quadruplicis Monarchiæ Colossus, in pedes tandem per *Romanos* erectus; surrexerat crudeli ferro, vitiorum omnium luto pessimè cohærebat; cùm Divina Providentia ex altissimo Cœli monte devolvit lapillum, *Christum* intelligo, qui suo casu in cineres redegit Idololatricam Statuam, novámque erexit Monarchiam Ecclesiasticam, ad usque finem sæculi duraturam. *Monarchia quinta Ecclesiastica.*

XII. *Mel.* Quæ Observationes Christianæ?

Leuc. I. Divina Providentia in sua Ecclesia regenda: nam cùm cerneret Synagogam, impletâ Patrum mensurâ, non parvis passibus ad sua fata properantem; cùm videret, duram *Iudaicæ* Gentis cervicem, nec Prophetarum monitis flexam, nec sanguine emollitam, misit denique Divinum Filium, dicente Patre: *Reverebuntur Filium meum.* (a) Sed & Isto, belluina crudelitate sublato, statuit, ipso reorum judicio, (b) *malos malè perdere, & vineam suam locare aliis*, sic ut *Christus denique factus in caput anguli*, & super *lapidem hunc reprobatum*, ædificata sit nova Ecclesia, Synagogâ veluti umbrâ, ad Legis novæ auroram, sensim evanescente. Observationes Christianæ Quæ? *Divina Providentia in sua Ecclesia regenda.*

II. *Divina Providentia in fundanda hac nova Ecclesia: Synagoga* igitur, etsi non defecerit à fide, quam antè profitebatur, repudiata tamen fuit à *Christo*, in cujus locum sic assumpta est nova Ecclesia, *ut per ipsam Christi mortem* translato Sacerdotio, velóque Templi scisso, *consummata* ac abrogata sit *In nova fundanda.*

(a) *Marc.* 12. 6. (b) *Matth.* 21. 40. &c.

Lex *Mosaica* cum suis ceremoniis, ac Sacrificiis; DEO *Synagogæ* consiliis sensim suam assistentiam subtrahente. (*a*) *

In eadem instruenda, ac ornanda.

III. *Divina Providentia in instruenda, & ornanda sua Ecclesia.* 1.mò. In Divina *Christi* Doctrina, consiliis, præceptis, omnium virtutum exemplis prorsus Divinis, meritis infinitis, Sacramentis longè Divinioribus, quæ per *Circumcisionem, esum Agni Paschalis, & Sacerdotum consecrationem,* veluti in rudi schemate, solummodò adumbrabantur. Et denique in Sacrificio *Christi* cruento & incruento, quod utrumque Holocausta *Synagogæ* latreutica, Hostiæ eucharisticæ, impetratoriæ, atque propitiatoriæ solâ tantummodò in umbra præfigurabant.

Observationes Polemicæ Quæ?

Mel. Quæ Observationes Polemicæ?

Leuc. Hybnerus, qui in Testamenti antiqui Historiis Juventuti suæ doctrinas morales proposuit, haud perversas, quia *Luthero* constanter contrarias, in Testamento novo non semel à veritate recessit: adeò lux spuria abit in tenebras, si extra veram Ecclesiam scintillet! Paucis Juventuti Acatholicæ glaucoma detrahimus.

I. Ex

(*a*) *Matth. 27. v. 51.*

* *Quæres 1.* An Lex *Mosaica* nunc penitùs sit abrogata? ℞. *è Fontibus Biblicis, Bambergæ editis A. 1698. & Congregationi Academicæ dedicatis*, abrogatam esse quoad præcepta *Ceremonialia* & *Judicialia*, non autem *Moralia*, quæ in Decalogo continentur, eò quòd illa juris sint naturalis. *Luc. 16. v. 16.* dicitur: *Lex & Prophetæ usque ad Joannem. Hebr. 7. v. 12. Translatô Sacerdotiô, necesse est, ut & Legis fiat translatio.* Est autem abrogata, quia continebat figuras, per *Christum*

I. Ex *Zachariæ* & *Elisabethæ* exemplo infert: Ein frommer Priester/ und ein fromme Priester Frau schicken sich doch gar wohl zusammen: bella illatio è veteri Testamento ad novum. In illo Sacerdotes animalia, in isto *Christum* immolant, Agnum Immaculatum: invertamus igitur argumentum: in Testamento veteri, *(a)* Divino præcepto ab uxoribus arcebantur Sacerdotes, quoties & quamdiu Templo inserviebant: ergo in Testamento novo longè decentiùs continentiam servant, cùm quotidie Agnum Divinum immolent, & Ecclesiæ Divinisque mysteris constanter inserviant. *Historiâ 1.*

II. *Divina Mater etiam fuit peccatrix; nam ait: Exultavit spiritus meus in DEO Salutari meo.* *(b)* Argumentum elumbe! habuit utique *Servatorem*, sed qui Matrem redemit, non à peccatis eripiendo, sed præservando: sic enim decuit redimi Matrem, ne ex peccatrice, dæmoni aliquando subjectâ, nasceretur Mundi Redemptor. *Hist. 3.*

 III. Chri-

stum impletas: quia erat imperfecta *Hebr. 7. 18. &c.* Hinc cùm *Baruch. 4. v. 1.* dicitur: *Hic Liber mandatorum Dei & Lex, quæ est* (seu durabit) *in æternum*, intelligenda duratio, quoad præcepta *Moralia*: quoad *Ceremonialia* non quidem in significatione, sed re significata. *Ita D. Th. q. 103. A. 3. ad 1.*

Quæres 2. Quando abrogata sit Lex vetus *Mosaica?* ℞. *ex iisdem 1. mò.* non ante Servatoris nostri mortem: quia *Christus* eandem, quoad vixit, & observavit ipse, & observari ab aliis voluit. Unde non nisi per calumniam à *Pharisæis* accusati sunt *Christi* Discipuli,

(a) *Exo. 19. v. 22. colligitur ex eodem c. v. 10. & 15. 1. Reg. 21. v. 5.* (b) *Luc. 1. v. 47.*

Hist. 15. III. *Christus quadraginta dies jejunavit, ut satisfaceret pro nostra intemperantia*: inquit *Hybnerus*. Si *Christus* pro peccatis alienis, cur Heterodoxi non jejunent pro suis? vel cur Catholicos, hoc *Christi* exemplum sequentes, cum *Luthero* exsibilent?

Hist. 17. IV. *Pro Centurione Seniores Populi apud Christum intercedebant; ut videas, devotorum preces pro aliis efficaces.* Si prodest intercessio hominum, cur non prosit Sanctorum? Fortè non videbunt in VERBO Beati, quæ extra VERBUM vidit quondam *Onias*, necdum beatus?

Hist. 39. V. *Oleo prudentum Virginum significatur fides Justificans, practica per charitatem*, ait *Hybnerus*. Reformat hæc doctrina Confessionem *Augustanam*, ubi legimus: (a) *Remissionem peccatorum, & gratiam, tantùm fide consequimur, credentes, quòd propter Christum recipiamur in gratiam &c.* cujus ergo fidei *Hybnerus*?

VI. In

scipuli, & Apostoli. *Matth.* 15. *&c.* 2. Cessavit Lex vetus in morte *Christi* quoad ejus obligationem teste *Angelico Q.* 103. *a.* 3. *ad* 2. Quia tunc translatum est Sacerdotium: ergo & Lex *Hebr.* 7. *v.* 12. Unde prædicante *Christo* viguit simul *Lex* & *Evangelium*: illa in præcepto, hoc in consilio. *Vide Fontes Bibl. f.* 93.

Quæres 3. An *Lex* cessârit in ipso puncto Mortis *Christi*? ℟. *Valentia, & Becanus* affirmativè saltem *quoad obligationem*: dicente *Christo*, *Consummatum est*, & exsolvente pretium Redemptionis. An autem cessaverit *quoad utilitatem* & *efficaciam* incertum est: *Sotus*, & *Gabriel* retinuisse vim suam asserunt usque ad

(a) *Art.* 20. *de Fide & bonis operibus.*

VI. In Teſtamento veteri duo erant Sacramenta: *Circumciſio* & *Cœna Paſchalis*: in Teſtamento novo duo alia inſtituit *Chriſtus* teſte *Hybnero*, *Baptiſmum* nempe, & *Euchariſtiam*. Hæc *Hybneri* ſententia peccat 1*mò* in Confeſſionem *Auguſtanam*, quæ præter Baptiſmum & Euchariſtiam admittit tertium Sacramentum, ſcilicet Pœnitentiam. *(a)* Peccat 2.*dò* in Teſtamentum vetus, in quo Sacramenta quatuor numerabantur, *(b)* nempe *Circumciſio*, *Cœna Paſchalis*, *Expiationes à peccatis*, *Conſecratio Sacerdotum*. Peccat 3*tiò* in Teſtamentum novum, ubi tria inſuper ſunt adjecta à *Chriſto*, *Confirmatio*, eò quòd ſit ſignum plenitudinis gratiæ; *Extrema unctio*, utpote *præparatio proxima* ad introitum Regni Cœleſtis; *Matrimonium*, eò quòd ſit ſignum *indiſſolubilis conjunctionis Chriſti* cum Eccleſia. *(c)*

Hybneri Error circa Sacramenta.

VII. *Chri-*

ad Pentecoſten: eò quòd priùs Lex nova non fuerit ſufficienter promulgata. Hinc S. *Bernardus epiſt.* 77. *Tamdiu credendum eſt antiqua valuiſſe Sacramenta, quàm diu palàm interdicta non fuiſſe conſtiterit.* Unde poſt mortem *Chriſti* adhibens Circumciſionem ad ſignificandum *Chriſtum* venturum, peccâſſet: adhibens eo animo, ut oſtenderet non fuiſſe malam, & à DEO profectam, non peccâſſet, ùt docent paſſim Scholaſtici cum D. *Auguſtino*, applicantes hìc illud: *Synagoga cum honore ſepeliri debuit.*

Quæres 4. Quando Lex Evangelica cœperit obligare? ℞. Tunc, cùm ſatìs fuit publicata, ſcilicet die Pentecoſtes, ùt colligitur *Act.* 2. *Vide Fontes Biblicos l. c.*

(*a*) *Apolog. Conf. Aug. art.* 7. *de num. Sacram.* (*b*) *Fontes Biblici fonte* 12. *f.* 203. (*c*) *S. Thomas.*

Historia eadem.

VII. *Christus in cœna dixit: (a) Bibite ex hoc omnes: Sub utraque igitur Specie ſumenda Fidelibus Evchariſtia: non enim Inſtitutionem Chriſti mutare homines præſumant.* Ita *Hybnerus.* Sed neſcit illa verba dicta tantùm Apoſtolis, quibus conſecratio eſt commiſſa, in *Servatoris commemorationem.* Neſcit, Calicem non eſſe de Sacramenti ſubſtantia, eò quòd æquè ſub una, ac ſub utraque *Chriſtus* promiſerit vitam æternam. (*b*) Sed Acatholicæ Juventuti ſufficiat *Lutheri* ſententia. (*c*) **Kommſt du an ein Orth/ da man nur ein Geſtalt gibt/ ſo nimm nur ein Geſtalt/ und ſetze dich nicht wider den Hauffen.** Item **wann ein** Concilium **beyde Geſtalten verordnete/wolten wir zu Verachtung des** Concilii **nur eine gebrauchen.** (*d*)

Historia eadem.

VIII. *Chriſtus* in cœna dixit: *Hoc eſt Corpus meum: Hic eſt Sanguis meus:* (*e*) hinc juxta ſenſum verborum meritò credimus, *quòd ſub conſecrato Pane Chriſti Corpus, ſub Vino Sanguis Fidelibus præbeatur.* Hiſteron, Proteron! meliùs Romano-Catholici arguunt: *Chriſtus* non dixit *in hoc* vel *ſub hoc Pane*; ſed *Hoc eſt Corpus meum*: hinc, juxta ſenſum Verborum, haud ampliùs adeſt Panis, ſed per *Transſubſtantiationem*, ùt vocant, Corpus *Chriſti*, ſub Speciebus ſolummodò Panis.



INSTRU-

(*a*) *Matth.* 26. 27. (*b*) *Jo.* 6. 52. (*c*) *Tom.* 2. *ed Germ. Jehn. f.* 1006. (*d*) *Tom.* 3. *ed. Germ. Jehn. f.* 274. *A.* 1520. (*e*) *Matth.* 26. *v.* 26. & 28.

INSTRUCTIO II. & Ultima.

De iis, quæ acta sunt â Christi Ascensione, usque ad Templi & Regni Judaici eversionem per annos 36.

Melander. Quæ divisio ultimæ Instructionis? *Divisio hujus Instructionis. Quæ?*

Leucotheus. In Paragraphos quinque. Primus aget de iis, quæ contigêre sub primis octo *Judææ* Gubernatoribus usque ad *Florum*. *2dus* de iis, quæ accidêre sub *Floro*, & *Cestio*, seu de belli *Judaici* initiis. *3tius* de iis, quæ contigêre sub *Vespasiano*, seu de belli *Judaici* progressu. *4tus* de iis, quæ contigêre sub *Tito*, seu de belli *Judaici* fine & *Ierosolymæ* obsidione. *5tus* de *Ierosolymæ*, *Judææ*, totiúsque Regni ac Gentis excidio. *In §§. 5.*

§. I.

De iis, quæ contigêre sub primis octo Gubernatoribus Judææ usque ad Florum.

Melander. Quæ per istud intervallum annorum memoratu digna? *Memorabilia per 36. annos residuos Quæ?*

Leucotheus. Plurima, quæ tamen pleráque cùm Ecclesiæ nascentis exordia spectent, non nisi in epitome Chronologicâ recensebimus, Historiæ Ecclesiasticæ fusiorem relicturi paraphrasin. *Hybneri* ordinem sectabimur

mur denuò per *Judaæ Prætores*, è quibus *Pilatus* post *Christi* Ascensionem quadriennio; *Agrippa* Rex septennio præfuit: hunc subin secuti 10. alii Romani Prætores 1. *Cuspius Fadus*. 2. *Alexander Tiberius*. 3. *Cumanus*. 4. *Felix*. 5. *Festus*. 6. *Albinus*. 7. *Florus*. 8. *Cestius*. 9. *Vespasianus*. 10. *Titus*: quorum gesta breviter expediemus.*

12. Judaæ Gubernatores.

A. M. 4086. Ch. 34.

Mel. Quid *Pilati* quadriennio post *Christi* Ascensionem memorabile contigit?

15. Maij. Memorabilia Post Ascensionem Christi sub Pilato Judaæ Procuratore Quæ? Apostolorum Zelus, miracula, Judæorum conversio.

Leuc. Post Pentecosten *Mathias Judæ* suffectus est; conversa à *Petro* tria hominum millia; ad speciosam portam ab eodem *Petro* in pedes erectus est Claudus; (a) *Ananias* & *Sapphira* ob defraudatum agri pretium subita morte multati; *Petrus* conjectus in vincula, cùm liberatus ab Angelo, denuò *Christum* prædicaret in Templo, ad Concilium fuit retractus, & cum Apostolis flagellatus. Denique exorto murmure *Græcorum*, (b) electi septem Diaconi, quos inter *Stephanus* zelo suo confundens Synagogæ residua lolia, usquedum à frendente manipulo lapidibus obrutus est: mox altero die S. *Jacobus*, primus *Ierosolymæ* Antistes à D. *Petro* est renuntiatus.

26. Decemb. 27. Decemb. A. M. 4087. V. 786. Ch. 35.

Samaritani conversi.

II. *Judæorum* furore dispersis Discipulis, *Philippus* Diaconus *Samariam* convertit, quam

(*) Id advertendum solummodò, *Hybnerum* anacronismi reum, dum semel (c) ab *Agrippæ* morte; alibi â *Christi* Ascensione usque ad excidium *Solymæ 36*. annos elapsos asserit, licèt *Agrippam* Anno *Christi 45*. post Ascensionem undecimo, defunctum asseverârit. (d)

(a) *Act. 3. 1.* (b) *Act. 6. & 7.* (c) *Hist. univers. f. 143. ed. A. 1711. f. 160.* (d) *fol. 140.*

quam subin *Petrus* & *Joannes* Sacramento
Confirmationis communiit. Ibidem primum
cum *Simone* Mago initum est à *Petro* certamen:
(*a*) *Philippus* Diaconus raptus ab Angelo, convertit Eunuchum Reginæ *Candacis*: & si *Baronio* fides, in exilium missi sunt *Lazarus*, *Magdalena*, *Martha*, *Maximinus*, *Marcella*, cum *A. M. 4088.*
Josepho ab *Arimathia*. *V. 787.*

III. A *Christo* conversus in *Paulum* est *Saulus*, qui *Damasci* mox inflavit Evangelicam tubam; inde abiît in *Arabiam*, è qua reversus denuò est *Damascum*. (*b*) *Ch. 36. Sauli conversio. A. M. 4089.*

IV. Visione celebri lintei Cœlo demissi, in quo erant omnis generis quadrupedia, admonitus *Petrus* de vocatione Gentilium, mox Centurioni *Cornelio* ostium fidei patefecit: unde hoc ipso anno erecta prima Ecclesiæ cathedra *Antiochiæ*, qua sedit *Petrus* per septem annos. (*c*) Hoc ipso anno, post compositum fidei symbolum, dispersi in Provincias destinatas Apostoli. (*d*) *V. 788. Ch. 37. Vocatio Gentium.*

V. *Pilatus* hoc anno in exilium ejectus dicitur: *Caiphas* & *Annas* rapti ad Tartara; *Tiberiô Christum* in Deorum numerum relaturô, decretum impediît Romanus Senatus. (*e*) *M. 4090. V. 789. Ch. 38. M. 4091. V. 790.*

Mel. Quæ per *Agrippæ* Regis septennium acta ab Apostolis legimus? *Ch. 39*

Leuc. 1. *Paulus Damasci* quæsitus ad vincula à *Judæis*, sportâ per murum dimissus, *Ierosolymam* abiît, visurus *Petrum*. (*f*) *Memorabilia Agrippa Rege Judæam administrante, Quæ?*

II. *Petrus* & *Barnabas*, *Antiochenis Christum* annuntiantes, ibidem Discipulos primò vocaverant *Christianos*. *A. Ch. 42. Christiani Nominis origo.*

III. *Thaddæus* ablegatus *Edessam* ad *Abagarum Regem*, eundem cum toto Regno ad veram fidem convertit. *A. Ch. 43. Abagarus Rex conversus.*

IV. S.

(*a*) *Act. 8. v. 1.* (*b*) *Gal. 1. 17.* (*c*) *Act. 10. v. 1.* (*d*) *Corn. à lapide contra Baronium.* (*e*) *Tertull. in Apol.* (*f*) *Gal. 1. v. 18.*

A. Ch. 44. S. Jacobus M. occisus.

IV. S. *Jacobus* ex *Hispaniis* redux, circa Festa Paschalia sublatus ab *Herode Agrippa*; S. *Petrus* conjectus in vincula, sed liberatus ab Angelo, postquàm plurimas peragrásset Provincias, *Romam* denique pervénit: Hoc ipso anno *D. Paulus*, ad tertium Cœlum raptus, arcana didicit, quæ non licet hominibus loqui. (*a*)

A. Ch. 45. 18. Januarii. Petri Cathedra Romæ fundata.

V. *Romæ* constituta est *Petri* Cathedra, positáque *Romanæ* Ecclesiæ sunt fundamenta. *Paulus* cum *Barnaba* profectus ad Gentes: Scripta est hoc ipso anno prima *Petri* Epistola ad Fideles dispersos in *Ponto*, *Asia* &c. & exaratum à *Marco* est Evangelium, *Agrippâ Herode* intereà Divinæ Nemesi pœnam mortis promeritam exsolvente.

A. M. 4098. V. 797. Ch. 46. Memorabilia sub Cuspio Fado.

Mel. Quid sub Regimine *Fadi in Judæa* memorabile contigit?

Leuc. Post *Agrippæ* fata à *Claudio Cæsare* submissus est Prætor *Cuspius Fadus*, qui denique totum *Judææ* Regnum, in formam *Romanæ* Provinciæ redactum, administrârat, *Herode Chalcidis*, & *Agrippâ* II. Ecclesiastici potiùs, quàm Politici Regiminis curā habentibus.

Sergii Pauli Proconsulis Conversio.

II. Intereà *Paulus* & *Barnabas* venientes *Paphum*, *Sergium Paulum* Proconsulem ad *Christi* castra traduxerant, cæcitate percutientes *Elymam* Magum, Evangelio resistentem, qua occasione nomen *Sauli* in *Pauli* onomasticum honoris titulum, mutatum ajunt. (*b*)

Eodem anno. Theodas Præstigiator punitus

III. Turbabat *Judæam* alius Præstigiator, *Theodas* nomine, qui specioso *Jordanis* dividundi mendacio, curiosam Plebem non sine tumultûs specie, ad fluminis ripam attraxerat: sed *Fadus* immisso milite disjecit. (*c*) trecentos Pseudo-Prophetæ pe-

diffe-

(*a*) 2. *Cor.* 12. *v.* 4. (*b*) *Act.* 13. *v.* 4. &c. (*c*) *Act.* 5. *v.* 36.

dissequos, ipsum Sycophantam, interalios captum, multavit morte.

Mel. Quid sub *Alexandro Tiberio*?

Leuc. Hic *Fado* successerat, sub cujus regimine *Judaeam* vastavit fames, primum excidii imminentis præludium. Hic ipse, cùm *Galilaea* sectæ Fautores denuò contra *Romanum* Dominium cristas erigerent, easdem amputatis Potentiorum cervicibus depressit.

Alexandri Tiberii Prætoris regimen Quale? A. Ch. 47.

II. Intereà *Paulus* pervenerat *Lystram*, ubi restituto per miraculum Claudo, inter Deos relatus esset à Plebe, nisi *Mercurii* nomen, uti & *Barnabas Jovis* titulum aversatus, Divinos honores uni *Christo* debitos demonstrâssent. Mox concitato à *Judaeis* tumultu, *Paulus* penè lapidibus obrutus, perrexit *Berben*, (a) aliásque Provincias, Evangelica spargendo semina, peragravit.

A. Ch. 48. Paulus prædicans Lystris.

Mel. Quæ sub *Cumano*, *Tiberii* Successore, memoranda veniunt?

Quæ memoranda sub Cumano?

Leuc. I. Inopina seditio, quæ ipsa Paschæ solemnia ingenti clade turbaverat. Ansam dedit (b) infanda Romani militis impudentia, qua dum ascendentes in Templum irritat Lucro, fit tumultus; miles civi, civis militi miscetur, sic ut viginti millia unius scurræ proterviâ interierint.

A. M. 4101. V. 800. Ch. 49. Tumultus in Urbe.

II. Hunc *Solymæ* tumultum excepit alius, qui *Judaeam*, atque *Samariam* mutuis cædibus infestârat. Accidit, (c) ut *Galilæos*, ad festum *Ierosolymam* ascendentes pro more, *Samaritanorum* infesta cohors exciperet, quosdam occideret, omnes exspoliaret. Res delata est ad *Cumani* tribunal: sed dum hic auro *Samaritano* corruptus, *Galilæis* Justitiam denegat, illi vocatis in ultionis fœdus

Anno Ch. 51. Samaritanorum, & Judæorum cruentæ lites.

(a) *Act.* 14. 6. &c. (b) *Jos. l.* 20. *Ant. c.* 4.
(c) *Jos. l. c. c.* 5.

Judæis, Jus gladio vindice quærunt, *Samaritanos* Talione multant: sed advolante *Cumani* milite mox clade reciprocâ repelluntur. Invocatus subin *Numidias Quadratus*, *Syriæ* Præses, qui *Cumanum* ablegavit ad *Cæsaris* tribunal, ubi cùm causâ cecidisset, exilium tulit, *Samaritani* damnati sunt, *Celer* militum Præfectus, *Judæorum* vindictæ traditus, & per *Jerosolymæ* compita raptatus interiît.

Concilium primum Jerosolymitanum.

III. Ejectis Româ *Iudæis* â *Claudio Cæsare*, *D. Petrus Ierosolymam* rediît, ubi celebratum est primum Concilium, & decisa à *Petro* est controversia de Lege *Mosaica*, *Christianis* non observandâ, quam litem *Antiochiæ* ortam ad Concilium detulêre *Paulus* & *Barnabas*. (*a*) Inde *Paulus* separatus â *Barnaba*, venit *Philippos* cum *Sila*, ubi flagellis cæsus, & conjectus in carcerem, terræ motu portas effringente, evasit incolumis: hoc eodem anno, tres visi soles, qui in unum mox denuò coaluêre, si *Eusebio* fides est. (*b*)

Memoranda sub Felice.

Mel. Quid sub Regimine *Felicis* contigit?

A. M. 4104. V. 803. Ch. 52.

Infelix Judææ status ob latrocinia.

Leuc. I. *Felix*, *Cumano* substitutus, invénit *Iudæam*, *Samaritanorum* & *Iudæorum* dissidiis malè turbatam: nam passim conglobati in grassatorum manipulos, latrociniis, deprædationibus Patriam sic infestârunt, ut malum esset etiam armatis remediis majus, id quod erat novum exitii imminentis præludium.

Præsidis pessimum regimen.

II. Afflictam Rempublicam *Felicis* infelix regimen magis afflixit: nec huic malo erat remedium; nam cùm *Ionathas* Antistes Summus, illum officii admonere præsumeret, monitorem molestum per sicarios è medio sustulit: unde & Sacerdotium, iis posthac dissidiis

(*a*) *Act*. 15. (*b*) *in Chron*.

dissidiis quassatum, nutaverat, ut Synagogæ ruinam propiorem indies minitaretur.

III. Is ipse *Felix Drusillam*, *Agrippæ* II. Sororem, tam formosam corpore, quàm animo deformem, sic ad Thronum pellexerat, ut & priori Sponso *Izati Adiabeno* Regi, & Religioni avitæ libellum repudii dare non vereretur.

IV. Hoc ipso anno D. *Paulus*, *Athenis* in *Areopago*, *Christo* genuit *Dionysium*; mox plures *Corinthi*, ubi etiam scripsit Epistolam geminam ad *Thessalonicenses*. *A. Ch. eodem. Dionysii Areopagitæ conversio.*

V. Tumultuantibus *Hebræis*, *Paulus* raptus est ad *Gallionis* tribunal, sed absolutus: mox peragratis superioris *Asiæ* partibus *Ephesum* cùm venisset, objectus est bestiis, (*a*) ubi miraculis variis durante biennio plurimos ad veram fidem convertit. Denique *Timotheo* constituto ibidem Episcopo, in *Macedoniam*, aliásque Provincias abiît, ut veræ Fidei luce Idololatricas tenebras dissiparet. *A. Ch. 53. A. Ch. 55. & 56. Itinera & labores D. Pauli. A. Ch. 57.*

Mel. Quæ memorabilia sub *Festo*, & *Albino Judææ* Præsidibus?

Leuc. Gentium Doctor Apostolus, pluribus denuò Provinciis Zelo Apostolico peragratis, (*b*) scriptisque pluribus Epistolis, * tandem circa festa Pentecostes *Jerosolymam* est reversus, ubi à *Judæis* captus, & penè occisus est; mox flagellandus, cùm Civis *Romani* titulo se exemisset, missus est *Cæsaream* ad *Felicem*, quem etiam Apostolica suadâ, multa differens de Justitia, Castitate, & Judicio sic perculit, ut exclamârit: *Vade, tempore opportuno accersam te denuò.* (*c*) Succedente *A. M. 4110. V. 809. Ch. 58. Memorabilia sub Festo & Albino Quæ? Zelus D. Pauli.*

D 2 dein

(*a*) 1. Cor. 15. 32. (*b*) Act. 20. usque ad c. 28. (*c*) Act. 24. 25.

* Ex *Creta* ad *Titum*; *Nicopoli* Secundam ad *Corinthios*; è portu *Cenchrensi* ad *Romanos*.

dein *Portio Festo*, cùm *Paulus* *Cæsarem* appellâsset, *Romam* missus est. Hoc ipso anno Divinissima Virgo *Maria* è Jerosolyma terrestri ad Cœlestem abiisse creditur, inter triumphantes Angelorum Choros assumpta. (*a*)

Mors B. V. Mariæ.

D. Pauli fata Jerosolymis. A. Ch. 59. 6. Julij.

II. D. *Paulus*, in itinere naufragus & ereptus à *Christo*, tandem appulsus est *Romæ*; custoditus à milite egit Apostolum, in vinculis liberum, non tam verbo, quàm scripto: nam durante biennio, varias exaravit epistolas, Divino Spiritu plenas, ad *Philippenses*, *Ephesios*, *Colossenses*, atque *Philemonem*. Subin libertati redditus à *Nerone*, in Provincias varias, ipsámque *Hispaniam*, *Christi* nomen portavit.

A. Ch. 60.

A. Ch. 61.

A. Ch. 62.

III. Defuncto *Festo* submissus Româ *Albinus*, Grassatorum manipulos, undique *Judæam* infestantes, frustrà exterminare conatus est, clade mox vindicatâ per clades, ut adeò ipsa remedia *Agonizanti* Patriæ in perniciem cederent.

Mors S. Andreæ & Jacobi. A. Ch. 63.

IV. Hoc ipso anno S. *Andream Patris* in *Achaia* cruci affixum testatur *Onuphrius*. (*b*) Anno sequente S. *Jacobus*, Frater Domini, scripsisse fertur Epistolam suam Canonicam; cúmque instantiùs *Christum Ierosolymis* prædicaret, è pinna Templi dejectus, fullonísque vecte percussus, Martyrium subiît, DEO ejus necem variis prodigiis sic ulciscente, ut *Iosephus* ipse, licèt *Iudæus*, ad mortis injustissimæ Nemesin, Urbis excidium referre non dubitârit. (*c*)

§. II.

(*a*) *Act. A. 72.* (*b*) *in Chron.* (*c*) *Euseb. l. 2. c. 23.*

§. II.

De iis, quæ contigêre ſub Floro & Ceſtio, ſeu de Belli Judaici initiis.

Mel. Quæ memorabilia ſub Tyrannide *Flori?* *A. M. 4116. V. 815. Ch. 64.*

Leuc. Plurima; & ut ordine procedamus, imprimìs belli, & excidii Jeroſolymitani *Occaſio.* * Jam Templo ultima tandem manus hoc anno erat impoſita; jam operarum octodecim millia, per plures annos, ſuperbum fabricæ verticem, *Herodiano* tecto viginti ulnis altiorem, ad usque faſtigium *Salomonis* extulerant, nemine vel ſuſpicante, hanc Baſilicam ſublimiùs erectam, ut caſu profundiore, elapſo ſexennio, in ſuum nihilum denuò relaberetur: cùm ecce! miſſus in *Palæſtinam* eſt *Florus,* non tam ut regeret, quàm tyrannide & avaritiâ comite, ſecum excidium afferret.

Memorabilia ſub Floro Quæ?

Occaſio Excidii Jeroſolymitani Florus miſſus in Palæſtinam.

II. Obtigit hic illi *Neronis* favor, *Cleopatræ* uxoris intuitu, quæ ſicut apud *Poppæam* Auguſtam, ita propter *Poppæam* omnia apud *Cæſarem* poterat. ** Hinc cùm ſciret, *Romam* ſub laſcivæ ejusmodi *Iunonis* ſcuto ſibi propiti-

Cleopatræ Uxoris favore.

* Deſumpta hæc ex *Joſepho Judæo,* aliorum more, & exemplo.

** *Hybnerus* ſibi denuò contradicit, dum *fol. 148. edit. a.1711. Poppæam* aſſerit *Flori* Conjugem, à *Nerone* raptam, & tamen Tomulo eodem Hiſt. Univerſalis *fol.429.* eandem haud ampliùs *Conjugem,* ſed *Patronam* ſolummodò nominat. *Poppæam* nunquam fuiſſe Conjugem *Flori,* teſtantur Hiſtorici paſſim omnes.

pitiam, nulli esse propitius, sed totam *Iudaeae* Gentem suae tyrannidi immolare victimam decrevit.

Signa exitij Jerosolymitani prodroma Quae?

Mel. Quae portenta Coeli prodroma exitium *Iudaeae* imminens praefigurârunt?

Leuc. Plura, pluribus annis succedanea, ut feralis nuntius nuntium confirmaret.

I. Prodroma signa Polus. *A. M. 4117. A. Ch. 65. Vaticinium lugubre.*

I. Fuit *Ierosolymis* homo, proletaria è tribu, cujusdam *Anani* Filius, cognomento *JEsus*, ut in nomine vaticinii causam, in vaticinio criminis poenam civibus annuntiâret: hic per septem annos, & aliquot menses, diviniore quodam oestro percitus, Urbem continuò circumcursare, per plateas proclamare indesinenter: *Vae ab Oriente, vae ab Occidente, vae â quatuor ventis, vae in Ierosolymam & Templum, vae in omnem hunc Populum!* Et licèt à Primoribus Urbis accersitus saepè, saepiùs reprehensus, & virgis haud segniter laniatus esset, tamen is lamentationem suam absque requie & raucedine continuare non destitit, diu noctúque clamans: *Vae, vae Ierosolymis!* tandem ipsa die, qua Urbs obsessa, cùm muros obambulans sibi Urbíque lessum repeteret, in ipsa voce: *Vae Jerosolymis, vae etiam mihi!* excusso è *Romano* tormento lapide prostratus interiit, vaticinii sui Augur simul, ac testis. (a)

A. Ch. 68. Splendor extemporaneus.

II. Anno sexagesimo Christi octavo, si verus *Cornelii à Lapide* computus, (b) die octava Aprilis, horâ nonâ nocturnâ circa Templum tantum subitò affulsit lumen, ut dimidiae horae spatio, velut adulti claritatem *Cynthii* referret.

Bos Agnum enixa.

III. Circa idem tempus, cùm Bos immolanda

(a) *Jo. l. 7. Bell. c. 12.* (b) *In Chronotaxi Act. Apost.*

landa duceretur ad Aram, in Templi medio agnum enixa est.

IV. Orientalis quoque porta ænea Templi interioris, quam vix viginti viri sat commodè aliàs clauserant, visa est sub concubiam noctem ultrò patescere. *Portæ inopina apertio.*

V. Aliàs conspecti per Cœlum ignivomi currus hinc inde ferri, & acies armatæ per nocturnas tenebras vagari atque discurrere. *Currus aërei. 21. Maij.*

VI. Ipsa die Pentecostes, cùm Sacerdotes noctu Templum ingrederentur, rei Divinæ daturi operam, allapsam cum ingenti strepitu vocem (Angelórum nempe Custodum) percepêre, quæ acclamavit: *Migremus hinc.* *Vox Angelorum discedentium.*

VII. Addunt horrendi Cometæ ferale syrma, quod *Solymæ* incubans, per annum integrum, exitium imminens præmonstrârit. *Cometa.*

A. Ch. 65.

Mel. Quæ Belli initia?

Leuc. Hæc data à *Floro*: nam sub Harpyiæ hujus tyrannide furta, rapinæ, cædes, & omnis generis scelera, ac Reipublicæ pestes, ruptis veluti repagulis, erupêre in publicum: latrocinia, deprædationes impunè sæviebant; nam erant sub lauro, si modò pars prædæ *Flori* unguibus objiceretur: omnem justitiam jugulaverant unctæ manus, & exorto *Cæsaréæ* tumultu, *Iudæos* inter atque Gentiles, pars utraque judicem emit in *Floro*, neutra Justitiam: verbo, tam lamentabilis erat *Iudææ* facies, ut pars magna ultrò desereret Patriam, pars * *Cestio*, *Syriæ* Præsidi, *Ierosolymam* fors venienti, obviàm effusa supplicaret, hac *Hydrâ* Patriam liberaret. Sed frustrà, quia fatis in *Iudææ* perniciem jam obstinatis. *Belli Judaïci initia sub Floro Quæ? Ejus causa. Tyrannis Flori.* *II.* Belli præludia Florus.

* Tria millia erant, non trecenta, ùt malè citat ex *Josepho Budæus* in Lexico novo, Basileæ impresso.

Thesauri sacri exspoliatio.

II. Accessit, ut *Florus* in ipsum Templi thesaurum sacrilegas manus injiceret, quod facinus animos, pridem jam alienos, ita exasperaverat, ut publicè, per contemptum, stipem pro saturanda Harpyiæ hujus fame colligerent, & mille convitiis Tyranni avaram ingluviem exsaturarent.

Cædes Civium.

III. Sed mox cum exercitu *Cæsareâ* venit, Urbémque invisit *Florus*, Judicem simul & ultorem suæ famæ acturus: erecto quippe tribunali, cùm vocâsset *Ierosolymæ* Proceres, convitiatores suæ Nemesi tradendos illicò expostulavit; quod dum illi non tam abnuerent, quàm deprecarentur, is immisso in forum publicum milite jugulare obvium quemvis, expilare cunctos, ipsósque Proceres * crucibus affigi jussit.

A. Ch. 66. Perfidia Flori.

IV. Insequente anno, cùm *Cæsareâ* evocâsset subsidiarias copias, voluit despoticus hic Dictator, cives pro more obviàm irent, & sueta consalutatione venientes exciperent: non impetrâsset istud à Populo, nî Sacerdotes, etiam apportatis è Templo sacris vasis, exulceratos animos leniîssent. In occursum ergò effunditur civis, salutem dicit; at miles à *Floro* instructus, salutem non reddit, & murmurantes dato veluti signo dissipat, ac prosternit. Miles vicissim in Urbe tegularum imbre exceptus est, & nî brevì cum *Floro* reditum maturâsset, pro hospitio reperisset sepulchrum. Hâc Tyranni perfidiâ in rabiem acti cives, jam non ampliùs rationis compotes, in omnem vindictæ occasionem efferatis animis pruriebant: immò cum *A-*

grip-

* *Hybnerus fol. 150. edit. cit.* scribit jugulatos ter mille sexcentos, *Josephus* non nisi sexcentos triginta adstruit.

grippa, Alexandriâ reversus, regiâ sanè suadá * consilia mitiora suggereret, flammæ affudit oleum, sic ut saxeo eum imbre Urbe ejicerent, ejúsque palatium *Vulcano* spolium consecrarent.

V. Hoc ipso anno *Eleazarus* quidam, *Ananiæ* Pontificis Filius, vir ad perniciem patriæ natus, ejusdem furfuris commilitones, variósque sicarios, qui pugionibus occultis invisum quemque etiam in ipsa comprimentium turba confodere solebant, sibi adlegerat. Hæc *Galilææ* sectæ repullulantia lolia, Legis strictiùs servandæ fuco, *Zelotas* dixit, quasi diviniore quodam Zelo conjuncti, Legis Divinæ vindices agerent, â Sacrificiis gentilium victimas repudiarent, & contra *Romanum* jugum libertatem *Abrahæ* tuerentur: quo specioso Religionis velamine seditiosum manipulum in omne nefas, ipsámque Urbis perniciem impellebat.

Seditio in Urbe excitata per Zelotas.

II.

Ansam Zelotæ.

Zelotæ Qui?

VI. Pars *Solymæ* sanior, cùm ratione nihil proficeret, vi conata petulantes ausus infringere, duobus millibus, quæ *Agrippa* in subsidium miserat, toto septiduo oppugnavit rebelles, tam infelici eventu, ut illi occupaverint Templum, ac in cineres redactis Justitiæ publicæ tabulis, etiam turrim *Antoniam* subjugârint, totúmque *Romanorum* præsidium internecione penitùs delêrint.

Frustrà à Civibus repressa.

15. Aug.

VII. Mox foris quoq; Urbem infestaverat novus Zelotes, *Manainus* quidam, *Judæ Galilæi* seditiosus sectator, qui collectis latronum copiis, propugnacula Urbis aggressus, ipsúmque Templum, Regio plenus fastu, ingressus esset,

Nova Manaini seditio.

6. Sept.

* Suadendo patientiam, tributum denuò solvendum, & erigendas porticus *Antonianas*, quas in detrimentum *Romanorũ* destruxerant.

ſet, nî ab *Eleazari* ſociis repulſus, in fuga captus, Populique furore interiiſſet.

Seditiones extra Urbem variæ.

VIII. Inteſtinis ejusmodi motibus dum *Jeroſolyma* quatitur, haud leviore tumultu percuſſa omnis *Judæa* contremuit. Eodem Sabbatho, quo *Eleazar Romanum* præſidium, etſi data fide poſitisque armis ſecurum, inauditâ perfidiâ jugulârat, orto tumultu *Cæſaréæ*, *Florus* viginti *Judæorum* millia ferro vindice abſumpſit.

Cæſareæ 20. millium clade.

In Syria 16. Urbibus ſubactis.

IX. Hanc cladem mox clade reciprocâ ulta fuit *Judæa* Natio, dum ſedecim urbes *Syriæ* ſic redegit in cineres, ut omnem animam, nullo ſexûs ac ætatis diſcrimine, furori vindici immolârit.

Fata Simonis in urbe Scytopoli.

X. Tot inter funera memorabile *Simonis* cujusdam fatum, qui *Scytopolim Judæus* contra *Judæos*, diu invicto robore defendit. Tandem ſubacta urbe, ut ipſe ſuam erga ſuos perfidiam puniret, evaginato enſe primò Parentes, deinde cum Filiis Conjugem interemit; mox mucronem, ſuorum ſanguine ſtillantem, in propria adigens viſcera, eodem fato ſe ſuámque familiam extinxit.

In Judæa varia ſtrages

XI. Gentiles intereà non ceſsârunt cruentum denuò *Talionem Judæis* rependere: *Aſcalone* bis mille quingentos, *Ptolemaide* duo millia, totidem *Tyri*, & *Alexandriæ* denique quinquaginta omninò millia ſuorum Manibus, veluti vindictæ victimas, immolârunt, cujus calamitatis origo fuerat *Florus*, qui & ipſe eâdem, qua *Judæam* ſuccenderat, ſeditioſa correptus flammâ, Nemeſi ſuæ ſuccubuit Tyranus.

Flori mors.

A. Ch. 66.

Belli Judaici incrementa ſub Ceſtio Quæ?

Mel. Quæ belli *Judaici* incrementa ſub *Ceſtio?*

Leuc. pro *Romanis* infauſta. Nam turbulen-

lentis adeò belli initiis motus *Agrippa*, ut medelam Patriæ afferret in tempore, concessit *Antiochiam* ad *Cestium*, *Syriæ* Præsidem, & *Judææ* supremum Protectorem, ubi collatis consiliis, vi & ferro seditiosa Hydræ nascentis capita amputare decreverant.

III. Primordia Cestius Urbi obsessæ dederat.

I. *Cestius* ergò ingenti exercitu, quem *Agrippæ* auxiliares copiæ auxerant, movit in *Galilæam*, ubi Urbem *Zabulon*, ab Incolis desertam, unà cum vicinis oppidis militi in spolium, *Vulcano* in pabulum tradidit.

Galilæa vexata.

II. Tum *Joppen* cepit, octies mille ac quadringentorum civium clade, eodem ferro vicina oppida depopulante.

Joppe capta.

III. Mox *Gallo Cesennio* dedit in mandatis, cum sua legione alia *Galilææ* oppida subjugaret; quod cum fecisset, & seditiosorum agmen, in monte conclusum, duorum millium illata strage dissipâsset, denuò *Cestii* copiis se conjunxit.

Aliàque oppida.

IV. Sic junctis viribus, obsidione cincta est per *Cestium Solyma*, unde *Scenopegiæ* solemnitas *Martiali* tumultu; Sabbathum laboribus est turbatum, & eo quidem Civium ardore, ut facta eruptione protriti mox primo impetu sint Hostiũ quingenti, totúsque exercitus sibi fugâ consuluisset, nî subsidiarii equites peditum animos erexissent, àc in Urbem repulissent furiosum manipulum.

Jerosolymæ obsidione cincta.

Eruptio Civium.

V. Certè tanto *Judæorum* robore mox obvallati circùm vicini montes, ut *Agrippa* deditionem spontaneam mallet, & misso etiam Caduceatore expeteret, qui tamen nuntius â rebelli Zelotarum cohorte, pacem sibi periculosam meritò suspicante, illicò dissectus in frusta est. Perfidia isthæc sic Populũ offendit, ut saxeo imbre repelleret hæc boni publici probra, nec semel

Obvallati montes.

Deditio rejecta invitis Civibus.

ſemel de admittendo hoſte conſilia agitaret.

Aſſultus Ceſtii in Templum. VI. *Ceſtius* his diſſidiis uſus, cùm occupâſſet ſuburbia, aſſultu tam valido ipſum etiam Templum impetiît, ut ſeditioſi deſperationis & fugæ conſilia jam agitârint.

Obſidio ſubitò ſoluta. VII. Sed factum, ut *Ceſtius* fortunæ ſuæ malè diffiſus, derepentè è mænibus retraheret militem, móxque apertâ fugâ in *Bethoron* cum exercitu ſe ſe reciperet: unde obſeſſi, reſumpto ſpiritu, ſic fugientem in montibus, viarúmque anguſtiis excepêre, ut quinque millium illata clade, cum multis ſpoliis ovantes *Jeroſolymam* reverterentur.

Cur? Ut Chriſtiani eriperentur ultimo Urbis excidio. VIII. Nempe ſic Numinis diſpoſuit Providentia, (a) ut Chriſtianus manipulus, qui tunc in Urbe degebat, hac occaſione maturè ultra *Jordanem* ſe ſe ſubduceret, ipſo Oraculo monente, ne pii cum impiis eodem fato involverentur.

Judæorum varia ſtrages. IX. Intereà *Damaſcus* civitas, audita *Romanorum* clade, decem *Iudæorum* millia, inferias occiſorum Manibus ſubmiſit: ipſi *Iudæi*, cùm audaciùs *Aſcalonem* urbem irrumperent, bis à *Romano* præſidio repulſi, 18. millium cladem retulêre, nullo emolumento, niſi quòd *Nigrum* Ducem, quem conſumptum putaverant, incolumen, & gravioribus fatis reſervandum receperint.

§. III.

De iis, quæ contigêre ſub Veſpaſiano, ſeu de belli Judaici progreſſu.

Belli Judaici progreſſus, ſub Veſpaſiano Quis? *Mel.* Quo ſucceſſu Bellum *Iudaicum* ſub *Veſpaſiano* continuatum?

(a) *P. Pexenfelder Narr. 67.*

Leuc. Tam infelici & turbulento pro *Iudæis*, ut denique post se Regni exitium traxerit. *Infelix pro Judæis.*

I. Tota *Iudæa* incredibili studio sese armaverat, ut *Romano Marti* hactenus invicto se invincibilem redderet: reparata ubique mœnia, erecta propugnacula, annonariæ domus instructæ, evacuata armamentaria, distributi Duces in urbes atque Provincias, missi Gubernatores, qui pro libertate Patriæ usque ad ultima decertarent. *Ierosolyma Eleazaro* ut ut omnibus inviso, quia perfido, parebat, sive necessitate, sive arte Tyranni politica Populum ad sua Imperia impellente. *Iosepho*, Viro tunc temporis celeberrimo, & vel ideò strenuissimo Duci, quia Historico, *Galilæa* commissa est, quam etiam sic defendit, ut ab ipso hoste elogia, à *Vespasiano* vitæ gratiam reportârit. *Apparatus Judææ ad instans Bellum Quantus?*

II. *Nero Augustus* & suorum clade, & novis Rebellium molitionibus provocatus, *Vespasianum* Ducem, pluribus jam palmis celebrem, cum ingenti exercitu, quem allatæ à *Tito*, *Agrippa*, aliisque fœderatis Regulis copiæ ad sexaginta millia auxerant, misit in *Palæstinam*, ut infrunitam Gentem domaret ferro, & sub *Romanorum* jugum denuò mitteret. *A. Ch. 67. Apparatus Romanorum.*

IV. Galilæam Vespasianus dum tandem subigit.

III. In primum Belli theatrum electa est *Galilæa*, quæ æquè bellicosa, ac *Romano* jugo fuit refractaria semper; ubi munitissima *Sephoris* mox spontè colla submisit, *Gadara* vi capta, ferro flammisque consumpta est penitùs, sic ut laxatis subitò habenis *Martis* furor per *Galilæam* omnem rapinis, cædibus, ac incendiis debaccharetur. *Galilæa Belli Theatrum.*

IV. *Josephi* copiæ vel solo *Romanorum* metu dissipatæ, cùm hinc inde dilaberentur, *Jotapatæ obsidio defendente Josepho Qualis?*

tur, is cum reliquiis *Jotapatam* ingressus est, urbem & â natura, & ab arte ita munitam, ut omnem belli furorem vel sustinere sola posset, vel saltem refringere. *Vespasianus* mox insecutus obsidione circumdedit Urbem, quam munimenta invictam, desperata *Josephi* defensio propemodùm invincibilem reddidit. Primos *Vespasiani* assultus per dies quinque continuos, tanto furore repressit præsidiarius miles, ut non modò desperata defensione è muris; sed eruptione insuper quotidiana *Romanum* militem ingenti clade attriverit.

21. Maij.

Desperata defensione. Per eruptiones.

Per mœnia, contra hostiles aggeres altiùs erecta.

V. Erecto aggere â *Romanis*, cùm ingens telorum imber, saxorúmque grando obsessos obrueret, *Iosephus* viginti ulnis muros crescere jussit: & ut impunè crescerent, expansis boum madidissimis coriis, quibus saxorum telorúmque elusus est impetus, operas defendit, ac iterata eruptione hostes impediit, machinásque ac opera destruxit. Cùm novi aggeres æquarent muros, & horrendis arietis ictibus nutarent mœnia, is demissis palearum saccis ictus retudit, ac elusit: sed cùm *Romani* falcibus saccorum funes rescinderent, sulphurea peste erupit in castra, injectisque ubique flammis, & opera & machinas unà cum ipso ariete destruxit.

Per assultus variis artibus repressos.

20. Junij.

VI. Novus cùm succederet aries, cujus ictibus jam jam hiabant muri; cùm *Vespasianus* telo fortè in pede saucius, novum denuò impetum tentaret, *Iosephus* ad desperatam defensionem non neglexit erigere suos: imbelli multitudine domibus conclusâ, ne ululantibus viros effœminaret; obstructis auribus, ne hostilis clamor terrorem incuteret, eo furore excepit affluentem ubique hostem, ut

partim

partim ferro, partim ebulliente oleo lacunisque ferventibus ingenti clade reprimeret irruentium impetus; præterquàm quòd pontem, qui aggerem mœnibus junxerat, tam providè fæno *Græco* decocto perfuderit, ut omne vestigium falleret, hostésque certatim in fossas delaberentur.

VII. *Vespasianus* sive pudore, sive suorum clade incensus, ultima tentare statuit. Hinc altiùs erectis aggeribus, quos trina turri, ferreis ubique laminis contra pestem igneam contectâ armaverat, ita telis saxisque non remisso furore in Urbem detonuit, ut obsessorum nemo tutus in muris, nemo impunè in plateis subsisteret.

Jotapatæ expugnatio quàm cruenta? Altiùs erectis aggeribus.

VIII. Accessit, ut transfuga tempus proderet, quo quietem pars plurima præsidii caperet; unde *Titus* cum exercitu derepentè irruit in Urbem, & quam vix poterat vigilante, dormiente milite cepit, majori obsessorum quàm obsidentium gloriâ.

Transfugæ proditione.

IX. Nam discusso somno cùm *Judæi* instantia fata præ oculis cernerent, se ipsos pars plurima interfecit; pars jugulata ab hoste, quatuor millium clade, mille ducentis in servitutis vincula abstractis, Urbéque tota in cineres redacta ac devastata.

Ingenti Civium clade.

X. *Josephus*, qui cum quadraginta viris primæ nobilitatis in oculti putei speluncam, proximè adjacentem, se se demiserat, hostium manus aliquantulùm elusit: sed tandem â vetula malè fida hostibus proditus, ut ipse se traderet, jussus est, nî excitando ocyùs fumo suffocari in antro cum suis mallet. Fecisset is sui deditionem, sed sociis mentem hanc non persuasit; hinc cùm pro tumulo antrum jam elegissent, *Iosepho* authore determinare

Capto Josepho Quomodo?

placuit

placuit per ſortes, cujusnam manu quisque è ſociis caderet.

Per Sortes.

XI. Trigeſies novies ſors pepercit *Ioſepho*, usquedum unicus reſtaret, quocum ſortiretur vitam vel mortem. Perſuaſit huic ſaniora conſilia, ſéque *Veſpaſiani* Clementiæ tradidit. Et verò, quam ſperavit Clementiam, invenit, cùm *Veſpaſianus* virtutem Herois ſat jam expertus, etiam ab eodem audiret auguria, quibus ſive divinando, ſive prophetando illi prædixit *Romani* Imperii ſceptra: quæ cùm ſaltem optaret *Veſpaſianus*, Auguri vitam indulſit, libertatem daturus, ſi eventus auguria comprobâſſet.

Galilæa penitùs à Romano milite ſubacta Quomodo? Japhâ devictâ. Samaritanorum ſtrage in monte Garizim. Captâ Joppe. Taricheâ. Gamalâ expugnata Quomodo? Hoſtibus ferociter repulſis.

XII. Intereà à *Tito Japha* quoque ſubacta eſt quindecim millium ſtrage, quæ partim proprio, partim hoſtili ferro ceciderant: eodem tempore in monte *Garizim* à *Romanis* occiſi *Samaritani* undecies mille ſupra ſexcentos. Inſuper capta eſt *Ioppe*, ubi hoſtili ferro periêre omnes, niſi quos mare fugitivos abſorpſerat. *Tarichéa* idem experta eſt fatum, in qua pars incolarum occiſa, pars vendita, pars feris objecta.

XIII. Tandem & *Gamala*, Urbs à ſitu loci invicta, quámque rupes altiſſima aſtris propè inſeruit, *Romano Marti* ſuccubuit. Nec tamen ſuccubuit impunè; nam incolæ naturæ loci ſic confidebant, ut *Agrippæ* ſaniora ſuadenti excuſſo etiam ſaxo reſponderint, nec leviter brachium vulnerârint. Immò cùm per furioſum aſſultum jam jam eſſet occupata ab hoſte Civitas, cives in arduam rupem ſe ſe recipientes, tantâ ferociâ repulêre *Romanos*, armis graves, & difficultate rupis retardatos continuò, ut non minori clade, quàm dedecore eos ex Urbe rurſus ejecerint.

XIV. Tan-

XIV. Tandem fame, & *Titi* virtute cecidit civitas, tanta ferri licentiâ, ut ſanguinei defluerent rivi; cúmque pars Civium plurima per rupis juga ſe ſe præcipitem ageret, *Romani* viris juncturi fœminas ac infantes, per confragoſa ejusdem ſcopuli præcipitia, eâdem omnes valle contumulârunt.

Cogente fame.

XV. Reſtabat arx unica, nomine *Giſcala*, quæ necdum *Veſpaſiani* Imperia adorabat. Hanc *Joannes* quidam, filius *Levi*, graſſatorum Primipilus, inſederat; cúmque diffideret labanti fortunæ, noctis præſidiô cum ſuis *Ierosolymam* elapſus, locum, unà cum tota tandem *Galilæa*, *Romano Marti* ſpolium reliquit.

Giſcala occupata.

Mel. Quomodo bellum *Judaicum* ſub *Veſpaſiano* in *Judæa* continuatum?

Leuc. Innumeris turbis, quibus *Jeroſolyma* per inteſtinos motus ſponte ruit ad ſupremum exitium.

Bellum Judaicum ſub Veſpaſiano continuatum in Judæa Quomodo?

A. Ch. 68.

V.

I. *Joannes*, cujus primùm meminimus, *Ieroſolymis* cum ſuis receptus, ſe ſe *Eleazari* ſociis, puta latronem latrunculis, conjunxit, ubi conjunctis viribus, ſub ſpecioſo Urbis defendendæ velamine, nomine *Zelotas*, re ipſa egêre Tyrannos, omni hoſte crudeliores. Infandum dictu! *Anano* Pontifici *Phanum* quemdam, hominem nauci, ſtivæ quàm ſacro pedo aptiorem, ſubſtituere auſi ſunt: Sacerdotii munere privârunt *Aarone* prognatas Familias, ut proletariam fæcem ad Mitras attollerent: Urbis Patricios ſub Urbis prodendæ ſchemate, vinculis atque carceribus concludebant: In factionis ſuæ adverſarios ita cædibus deſæviebant, ut paſſim compita cadaveribus ſqualerent, nec eſſet, qui inferre tumulo auderet. Verbo: ſus déque vertebant

Propriis malè preſſa ruinis Judæa atteritur.

Inteſtina ſeditio per Joannem alterū Zelotam.

Anano Pontifice depoſito.

Urbis Patriciis occiſis.

bant omnia, dum tandem *Ananus* cum meliore Civium parte tyrannidi huic ſe ſe oppoſuit, & vim vi repellere contendit.

Anani Pontificis civile bellum contra Zelotas Quale? Cruentum: Civium clade. Templi profanatione.

II. Vidiſſes hîc nobiliſſimam Urbem factam ſubitò latronum ſpeluncam, ſine hoſte mutuis cædibustumultuantem, & civili undique ſtagnantem ſanguine. Vidiſſes Templum, jam non Templum, ſed *Martis* fanum, ac armamentarium, cadaverum fœtore, & ſanguine pollutum. Zelotæ bellandi peritiâ, Cives numerô prævalebant, dum tandem poſt plurium dierum ſtragem Zelotæ in Templum repulſi, & in interiore Templi parte concluſi ſunt, mortis certiſſimæ victimæ, niſi *Ananus*, malè ſcrupuloſo purificandæ Plebis conſilio, vindictam in tempus aliud diſtuliſſet.

Alterum Anani civile bellum contra Idumæos, Zelotis ſuccurrentes. Quo Authore? Joanne Proditore.

III. Intereà *Joannes*, qui jam priùs transfugam mentitus, ſe ſe partibus *Anani* adjunxerat, proditorem induit, cunctáque Pontificis conſilia Zelotis communicavit. Immò ab *Anano* miſſus ad tractanda pacis negotia, belli facem accendit, ſuaſitque externa ocyùs ab *Idumæis* auxilia peterent, nî *Veſpaſianum* vindicem mallent, quem *Ananus* expreſſis litteris advocâſſet. Hinc in opem mox advocata Gens *Idumæa*, quæ nec ſegniùs adfuit, tumultuariè conglobato viginti millium exercitu, ut Zelotis, Patriæ Patribus, auxilia ferret, reverà ut prædas ageret, & Urbis ſpolia referret.

Idumæi ab Anano excluſi.

IV. Sed cùm *Ananus* hoſpites hos improviſos Urbe excluderet, in rabiem acti, rationis haud erant ampliùs compotes, qua *Ieſus* quidam, de mœnibus eos allocutus, demonſtrare conatus eſt, Zelotas non Urbis defenſores, ſed everſores; *Ananum* non *Veſpaſiani*

ni amicum, sed libertatis contra Zelotas justissimum vindicem agere.

V. Nox insecuta litem diremit: hac enim subitò tam effusi ruere de Cœlo imbres, tam horrenda intonare tonitrua, támque violenti strepere ventorum turbines, ut dilapsis circa Templum vigiliis, Zelotæ beneficio noctis spissæ proreperent, inter tempestatis horridæ tumultus, tutò Urbis portam effringerent, ac *Idumæos* palantes admitterent, qui sub ipsum diluculum octies mille quingentos primo furori mox immolârunt.

A Zelotis in Urbem admissi noctis & tempestatis præsidio.

VI. Crescente die crevit hostis ferocia, quæ rapinis & cædibus obvia quævis, turbinis instar, protriverat; furibundo hoste per Urbis palatia conquisitos Populi Principes, & hos inter ipsum *Ananum* ac *Iesum*, veluti Proditores Patriæ, ad crudelitatis suæ lanienam protrahente.

Strages ab Idumæis edita.

Anani mors.

VII. Tandem eò deventum, ut Zelotæ cum *Idumæis* junctis viribus in omnes modos exercendæ tyrannidis conspirarent: jugulati sunt velut per otium, quos vel levis suspicio *Romani* fœderis arguebat: quod crudele fatum in Templi medio expertus *Zacharias*, Filius *Baruch*, etsi ipsum septuaginta Judices priùs innocuum pronuntiârint. Verbo: tota Urbis Nobilitas, quæ rebellium partibus non accessit, tormentis excruciata, & duodecim millium strage è vivis sublata est.

Tyrannis in cives exercita.

VIII. Sic satiatâ rabie, cùm *Romanorum* adventum non nisi fabulam fuisse, *Idumæi* tandem agnoscerent, Urbe egressi sunt, Zelotis minimè invitis, utpote qui jam Civibus superiores, Urbem sub jugo tyrannico premere poterant, ùt volebant.

Idumæorum abitus.

IX. Et verò postquàm ipsos quoque Zelo-

Simonis nova seditio extra Urbem qualis?

 tas

tas inter se divisit Ambitio, ut *Eleazarus* Templum sibi vendicaret, *Ioannes* cum suis Leopardis, Regis instar, Urbis superiora incoleret, utriusque tyrannide non jam pressa solùm est Civitas, sed oppressa. Et quasi Divinæ Nemesi non satis esset flagellum duplex domesticum, adjunxit extraneum, *Simonem* quemdam, *Gyoræ* Filium, patriâ *Gerasenum*, quem ad exitium Patriæ ultimum succenturiâsse Fata videri poterant. Hic in castello *Massadæ* socios sibi adlegerat, quos veluti fæcis ultimæ vappam, & facinorosi furfuris excrementa evomuit Patria (*Sicarios* Fasti historici nominant) qui, ùt solet fungorum genus, ultra viginti millia sic sub vexillis *Simonis* excreverant, ut deprædationibus, rapinis, & latrociniis *Iudæam* omnem devastarent.

Massadæ adlectis sicariorum viginti millibus, Judæam omnem devastando.

Jerosolymæ angustiæ intùs, & foris Quantæ?

X. Hinc planè miseranda fuit *Ierosolymæ* facies: sæviebant tigridum more intus Zelotæ; non erat domus, quam non cædibus, rapinis, stupris, & infandis sceleribus maculabant: raptâ passim ditioribus vita, opes ut rapi possent. Omnis, qui non ululabat cum lupis, sub *Romani* fœderis schemate, indictâ causâ mox jugulatus, ut adeò cadaveribus squalerent viæ publicæ, & sepeliendus mox esset, qui alterum sepeliret.

Effugium nullum.

XI. Hinc plurimis animo sederat, hanc latronum speluncam cum Laribus ultrò deserere, & ad *Romanos* perfugium attentare: sed vel in Urbe Zelotas sensêre carnifices, vel si evitârunt hanc *Scyllam*, extra mœnia mox inciderunt in *Charybdim*, sicarios puto, qui æquali immanitate in omnes desæviebant.

Urbe ab hostibus conclusâ, vallatáque.

XII. Immò postquàm hæ Patriæ pestes, non *Judæam* modò, sed *Idumæam* quoque vastâssent, Harpyiarum more *Ierosolymam* advolan-

volantes, clausam sibi initio urbem, & ipsæ latrociniis clauserant. Hinc cùm intùs essent terrores, foris angustiæ, inter sacrum & saxum prehensa Civitas, quo se se verteret, ignorabat.

XIII. Tandem cùm *Joannis* jugo tyrannico nimiùm oppressa gemeret, apertis ultrò portis, admisit *Simonem*, veluti futurum *Joannis* & *Eleazari* vindicem. Vix hunc admiserat hospitem contra hostes, cùm eundem sensit, ipsis hostibus magìs hostilem, utpote qui occupata Urbis parte inferiore, æmulis veluti studiis in Cives desæviebat, ut qui priùs gemino, nunc etiam flagello triplici cæderentur.

Simon in Urbem admissus ad reprimendam Zelotarum tyrannidem. Effectu nullo, immò contrario.

XIV. Hac tyrannide tandem lassata Civitas, non semel ipsa invitaverat *Vespasianum*, tot malis finem imponeret, & opportunus hostis, à multiplici hoste *Solymam* liberaret. Sed non præcipitavit sua *Vespasianus* consilia, ratus, Urbem suis diffidiis attritam, eò citiùs postmodùm subigendam. Tandem anno reparatæ Salutis sexagesimo nono *Cæsaréa* movit, & exercitum transtulit in *Iudæam*, ubi subactis aliquot urbibus, etiam *Gadaram*, *Solymæ* similem grassatorum speluncam, expugnavit victor, tredecim millibus facinoroso de furfure trucidatis, duobus captis, reliquis in *Iordanis* tunc opportunè exundantis vortices præcipitatis.

Vespasiani in Judæam adventus Qualis?

A. Ch. 69.

XV. Jámque *Ierosolymam* iter intenderat, cùm ecce audita *Neronis* morte, mutatum sensit *Romani* Imperii theatrum, in quod evocatus ipse postmodùm Imperator, antequàm *Romam* abiret, *Iosepho* Auguri secari vincula, ad innocentiæ testimonium, jussit: *Tito* autem Filio exercitum, & cum ex-

Jerosolymæ obsidio morte Neronis interrupta Cur? Ob Vespasianum ad Coronam evocatum.

ercitu belli *Iudaici* provinciam demendavit.

§. IV.

De iis, quæ contigêre ſub Tito, ſeu de Belli Judaici fine, & Urbis Jeroſolymæ obſidione.

Bellum Judaicum ſub Tito finitum Quomodo?

Mel. Quomodo Bellum *Iudaicum* ſub *Tito* tandem finitum?

Leuc. Jeroſolymæ obſidione, atque excidio, cujus hæc in epitome ſeries. (*a*)

V. Solymæ Titus imminet. *A. M. 4122. V. 821. Ch. 70. Jeroſolymæ ſtatus Tito adveniente Qualis?*

I. Annus fluxerat, à partu Virgineo ſeptuageſimus, à *Chriſti* Aſcenſione trigeſimus ſextus, cùm *Ieroſolyma* inteſtinîs diſſidiîs dilaniata, ſuo tandem fato ſuccubuit. Tres Tyranni tres Urbis partes furore triplici devaſtabant: *Eleazarus* Templo potitus ex alto; *Simon* è plano Urbis inferioris, *Ioannem* ſitu loci, in *Sionis* Civitate, medium, diu noctùque auſis hoſtilibus laceſſebant: *Ioannes* contrà, *Eleazarum* quatuor machinis, *Simonem* miſſilibus, utrumque excurſionibus ſic oppugnabat, ut plerumque civili ſanguine ſtagnarent compita, & expilatæ ædes, incendiis collucentes, graſſatoribus reditum monſtrarent.

Obſidionis præludia Quæ? Circa feſta Paſchalia 14. Apr.

II. Hoc lamentabili ſtatu deſolatam *Solymam*, ineunte vere, *Titus* horrendo, quia innumerabili exercitu, cinxit, & periculoſis auſpiciis obſidioni initium dedit. Nam cùm ſelecto ſexcentorum equitum robore ſtipatus, Urbis ſitum propiùs exploraret, eruptione inſperatâ ſic intra geminum murum cum aliquot ſociis concluſum ſe ſenſit, ut ferro ſibi

(*a*) Ex *Joſ.*

exitum

exitum fecerit, ſed non niſi DEO protegente ſalutem retulerit. Exercitu ſubin trifariàm partito, cùm in *Oliveti* collibus legio decima ſe ſe foſſis caſtrenſibus vallaret, ſubitò effuſi certatim *Iudæi* per vallem *Cedron*, tantâ rabie irruerant in *Romanos*, ut operi intentos illicò in fugam conjecerint; immò & internecione deléſſent penitùs, niſi *Titus* in auxilia advolâſſet, & deſperatam incurrentium ſine lege ferociam, ut ut non abſque ſuorum clade, ſuique ingenti periculo, in Urbem denuò retruſiſſet.

III. *Romanis* intereà ad propiora obſidionis molimina ſe ſe parantibus, revoluta aderat Paſchæ ſolemnitas, cujus celebrandæ ſtudio, ſeu veriùs prætextu (ut triplici muro ſe ſuáque includerent) tanta *Iudæorum* copia, ex adverſa parte, in Urbem confluxerat, ut vigeſies centena hominum millia, ex multorum calculo, ad ſuum exitium, *Ieroſolyma* numerârit. *Occaſio Judaici Populi Jeroſolymæ ſe congregantis Quæ? Paſcha Solemnitas.*

IV. Nec *Eleazarus* Templi portas, per quas tot munera, pro more offerenda Numini, introirent, occluſit: qua occaſione utendum ratus *Ioannes*, ſuos occultis armis unà immiſit, qui interfectis cuſtodibus, magnáque editâ ſtrage, ſic turbârunt Solemnia, ut brevi Templo, arcéque *Antoniâ* potiti, *Eleazarum* loco pulſum, immò etiam Urbe ejectum, *Maſſadam* usque cum exili ſuorum manipulo, fugere compulerint. *Joannis nova in Urbe Seditio Qualis? Occupato Templo.*

V. Sic uno Tyranno levata Civitas, ſi tamen levata, quæ mox inter duos ita diviſa eſt, ut *Ioannes* ſex millibus latronum, quibus alia duo ab *Eleazaro* relicta acceſſerant, altiora Templi confinia; *Simon* verò cum Urbis parte inferiore etiam ſuperiorem decem *Urbe Joannis & Simonis jugo ſubjecta.*

non tam militum, quàm carnificum millibus frenaret. Hos inter geminos Duces, ùt ajunt, Lupos, ita convenerat, ut junctis viribus *Tito* resisterent: sed hoc vel modicùm cessante, mox ipsi omni hoste ferociores, rapinis, cædibus, & omnis generis tyrannide Civitatem miseram dilaniarent.

Obsidionis initia Quæ?

Mel. Quæ obsidioni data â *Tito* initia?

VII. Urbem cingit. *Ad Joannis Pontificis tumulum.*

Leuc. Postquàm occiso *Nicanore*, qui cum *Iosepho* missus erat Caduceator, repudiatam contra jus Gentium pacem vidisset *Titus*, vastatis suburbiis, ad *Ioannis* Pontificis tumulum oppugnationis cœpit molimina.

Muri primi expugnatio Quàm operosa?

II. Vidisses laborante exercitu succidi sylvas, surgere immensos aggeres, & nequicquam morantibus præsidii telis, plantari trino in suggestu arietes, quorum ictibus, horrendo fragore tonantibus, aures tinniebant obsessis, ipsisque Zelotis pectora palpitabant. Vidisses, ùt positis odiis *Simon* & *Ioannes*, cùm per furiosos assultus, igne ferróque armati, subruere aggeres tentarent, magnâ semper clade â *Romanis* repressi sint; ùt inter desperata obsessorum molimina, sed & inter majores *Romanorum* conatus, quos *Titi* præsentia animârat, primus tandem murus corruerit, *Iudæis* mox intra secundi latibula sese recipientibus.

15. Maij.

Secundi.

III. Vidisses denique, ùt eruptione quotidianâ lacessitus miles *Romanus*, & è muri secundi ambitu depulsus, belluinæ *Judæorum* ferociæ cesserit; ùt ingentes muri hiatus, objectis muri instar corporibus suis, defenderint, triduum sustinentes hostium impetus, usquedum repetito arietis robore & iste tandem dirutus, Urbis murum intimum *Romano* conspectui aperuerit.

Oblatæ pacis iterata rejectio Cur?

IV. Tandem *Titus* ut & suorum, & Civium

viam sanguini, Urbíque pulcherrimæ parceret, iteratam clementiam obtulit, *Josepho* interprete, qui de muro allocutus est Civem, & jam jam fame oppressum, nullóque auxilio sublevandum, efficaci suadâ, ad saniora consilia est adhortatus. Sed cùm Zelotæ, tyrannidis suæ conscii, semper sibi malè metuerent, obstinatis in exitium animis, ipsum *Josephum* convitiis, instantem etiam lapidibus frustrato omni conatu, non semel de mœnibus repulêre.

Intestina Solymæ mala Quæ? Pestis. Fames horrenda.

V. Tantas clades, cùm à Zelotis, tum à *Romanis* Urbi illatas, magìs aggravaverant mala belli pedissequa, *fames* & *pestis*: hanc aëris tot cadaverum putredine infecti fœtor; illam immensa hominum multitudo induxerat, utramque Zelotarum immanitas exasperârat. Currebant hi canes venatici domos sedulò perscrutantes, ut alimenta cuncta diriperent, negata cædibus, occultata flagris immanissimis extorquerent: si quid edulii odor, camini fumus, vel domus clausa prodiderat, effractis illicò foribus irruebant, cibos à mensis, è foco atque caldariis, quin & è faucibus, strangulata gulâ, eripiebant, ipsis parvulis, si ex buccella penderent, terræ crudeliter illisis: immò quemcunque liberalior facies, nec ad agonem usque macilenta notaverat, epulonis instar mox raptus ad lanienam, & tam diu, infandis etiam tormentis, est cruciatus, usquedum alimenta redderet, etiam quæ non haberet.

Cuncta deprædante Præsidio.

Ducibus in Nobilitatem sævientibus.

VI. Hâc lanienâ sæviebant in Cives lupì gregarii; in ditiores *Simon* & *Joannes* majori rabie debacchabantur. Nam subornatis delatoribus, velut de fuga suspectos exuebant fortunîs & vitâ, quódque unus fortè reli-

querat, alter penitùs diripiebat. Verbo: videre erat lamentabilem faciem! infantes Parentibus, viri uxoribus, & viciſſim, veluti canes famelicâ rabie efferati, bolum jam jam inferendum ori ſurripiebant; & ſi qui fortè elapſi extra portas, collegêre legumina, redeuntes à milite ſunt ſpoliati, ut ægrè vitæ gratiam pro vitæ periculo, & famis levamine referrent: plurimi à *Titi* excubiis intercepti, famis remedia invenêre, dum vel truncati manibus, vel crucibus affixi, deditionem ſuadere Zelotis ſua morte debuerant, adeò ut quingenti quotidie tragicum Urbi præludium exhiberent.

Zelotarum eruptiones quàm deſperatæ. Romanorum deſtructis aggeribus.

VII. Sed terriculamentîs híſce animatus potiùs, quàm territus Zelotarum eſt furor. Hinc poſtquàm iṁenſo dierū quindecim labore, novos aggeres muro ultimo *Titus* ſuppoſuiſſet, *Joannes* occultis cuniculis, peſte ſulphureâ refertis, ſic illos ſuffoderat, ut pauculas intra horas, ingenti *Romanorum* mœrore, in cineres redacti corruerint. Acceſſit, quòd *Simon*, deſperatâ pariter rabie, in hæc valla eruperit, ac facibus ſuccenſa, unà cum machinis bellicis, totóque apparatu *Vulcano* tradiderit. Ipſi *Romani* furentibus flammis cedere coacti, cùm ſe ſe in caſtrenſes foſſas reciperent, ſic à *Iudæis* tergori inhærentibus preſſi ſunt, ut deſperatæ ferociæ haud dubiè ſuccubuiſſent, niſi *Titus* cum auxiliis advolans, & animos erexiſſet, & majori virtute hoſtem in ſua mœnia conjeciſſet.

Obſidionis progreſſus Quis? Urbs vallo circumdata.

Mel. Quis obſidionis progreſſus?

Leuc. Pro Gente *Iudaica* ſuprà, quàm dici poſſit, fatalis.

I. Deſtructis per Zelotas aggeribus, *Titus* ex *Chriſti* oraculo totam Urbem circumdedit

dit ingenti vallo, quod tredecim turribus armatum, triduo unico, quasi per prodigium, ad novem & triginta stadia excurrerat adeò, ut in angustias compressi Cives, nec pedem efferre, nec legumina legere, unicum hactenus levandæ famis solamẽ, ullâ jam ratione possent.

VIII. Et horrendo concludit mœnia vallo.

II. Hinc eò usque exasperata est fames, ut umbræ, non homines oberrarent plateas, & exsucca, ossibúsque hærentia sceleta, passim papilionum instar conciderent, Urbémque in cœmeterium commutarent.

Strages per Famem horrenda.

III. Ferre non poterant ampliùs Zelotæ tam purulentam cadaverum saniem, fœtorémque pestilentissimum, unde per murum projecta certatim cadavera, tanto numero, ut ad spectaculum tragicum *Titus* ipsemet cohorresceret. Urbis lamentabilem statum confirmaverant transfugæ, quorum unus, vigiliarum Præfectus, unicâ portâ centies quindecies mille & quadraginta funera elata asseruit; alii sexcenta hominum millia, præterquàm quòd pauperum casæ, veluti totidem sepulchra, funeribus squalerent, vel elata, vel dejecta è mœnibus affirmârunt. *(a)*

Per Pestem

Immensa.

115040.

Usque ad primum Julij.

600000.

IV. Hanc intestinam stragem auxit clades extrinseca: nam cùm manipuli Civium integri, fame adacti, eruptionis specie ad *Romanorum* castra confugerent, *Titus* sive copiam exosus, sive pertinaciam ulturus, omnes arbitrio militis permisit. Factum, ut transfugarum quempiam, comestum aurum è sordibus suis eruderantem, conspicerent *Syri*, hinc avaritiâ stimulante, unica nocte, dissectis duorum millium ventribus, intestina rimati sunt, omnes hâc lanienâ perscrutaturi, nî *Titi* imperium cruentam sorditiem refrenâsset.

Militis Syri crudelitas in transfugas.

V. Tan-

(*a*) *Barth. Dionys. da fano* in Compendio Historico del novo Testamento.

Muri tertii & arcis Antoniæ expugnatio.

V. Tandem *Titus*, tot malis finem daturus, apparatu novo, decem milliaribus advecto, novos aggeres erigi juſſit, eósque viginti & uno die, nil retardante Zelotarum furore per eruptiones continuas, mutuásque clades, muro tertio admovit. Mox repetito arietis robore quaſſata turris *Antonia*, præſidio per ſaxorum, telorúmque grandines continuò in *Romanos* detonante, quam tamen tempeſtatem teſtudineis plerumque tectis nihil moti exceperant.

Irruptione cruenta Romanorum.

VI. Accidit, ut murus, quem *Ioannes* ad aperiendam eruptionibus ſemitam ultrò ſuffoderat, deſtitutus fundo derepentè corrueret; ſine mora aſſiliunt *Romani*, ſed clade non modica repelluntur: iteratò aſſultum tentant, & ſtertente præſidio arcem expugnant, eodem impetu Templum quoque expugnaturi, nî Zelotarum furor deſperatâ decem horarum lanienâ, auſus eorum heroicos repreſſiſſet.

Pax fruſtrà ab Romanis oblata.

VII. Occupato *Antoniæ* propugnaculo, *Titus* pro animi ſui clementiſſima indole pacem denuò obtulit, per *Ioſephum* obteſtatus Zelotas, ſaltem Templo, octavo Mundi prodigio parcerent, cujus Sanctuarium & ſuſpiceret ipſe, & à militum furore tutum promitteret. Sed reſponſum tulit *Laconicum*: Templum, DEO ſacrum, â DEO etiam ringente *Romano Marte* ſat propugnandum.

Famis extrema rabies.

VIII. Hâc obſtinatâ veſaniâ in eam rabiem adacta eſt fames, ut detracta è ſcutis coria, calceamenta, cingula pro cupediis; ipſe fimus mugientium ſiccus pro bellariis ſervirent: pars proprium, pars alienum ferro jugulum petiît; illa ut ſtrangularet famem, hæc ut leniminis quidpiam extorqueret.

IX. Fuit

IX. Fuit Matrona, *Maria* nomine, ab Harpyis hiſce ſpoliata ſæpiùs, quam maleſuada fames in eum furorem conjecerat, ut Filiolum, ab uberibus ſiccis pendentem, ſecaret medium, partéque toſtâ, latrantem ſtomachi rabiem, puta viſceribûs viſcera, exſaturaret. Mox odore attracti canes venatici, cùm ferinam rabiosè expeterent, oblata eſt â Matre pars Filioli altera, ad quod ſpectaculum primò attoniti, ubi cohorreſcere viſa ipſa crudelitas, & ipſi territi fugam arripuerunt.

Matronâ Filium proprium aſſante.

§. V.

De Urbis Jeroſolymæ, Regni, Gentisque Judaicæ excidio.

Mel. Quomodo denique obſidio finita?

Leuc. Ipſo Urbis, & totius Regni excidio.

Finis Obſidionis Qui? Juramentum Titi.

I. Toties rejectæ ab obſeſſis clementiæ ſucceſſit tandem *Titi* ſeveritas, quâ etiam per *Romæ* Numina juravit in ſuum obſtinatos exitium perdere, Urbiſque ruderibus tumulare. Hinc illicò ſuccenſæ Templi magnificæ porticus, inter deſperata eruptionum certamina erecti aggeres, arietis horrifico furore quaſſata mœnia, ſed incaſſùm, cùm muri durities priùs arietem frangeret, quàm ariete frangeretur: unde applicatis ſcalis tentati aſſultus, qui tamen cruenta rabie ſunt repreſſi. Turres, ædificia, porticus, quas cœperant *Romani*, â *Judæis* ipſis ſuccenſæ; quas occupaverant *Iudæi*, combuſtæ ſunt â *Romanis*, ut adeò in Templum exterius *Vulcanus* undique ſæviret. (a)

IX. Expugnat tandem. *Succenſæ Templi porticus. Templum exterius captum 4. Aug. Sabbatho.*

(a) *Moreri.*

II. Dúm-

Interius combustum. Milite facem injiciente.

II. Dúmque *Titus*, interiori Templo ut parceret, proprio milite restinguit serpentem flammam, *Iudæi*, veluti efferatæ tigrides, per medios ignes erumpunt, & desperato quinque horarum conflictu sic sæviunt in *Romanos*, ut *Titus* allatis suppetiis hostem ægrè intra Templi septa repulerit. Decimo *Augusti* * (qui dies bis jam Templo fatalis) cùm iterato furore *Iudæi* erumperent, & iteratâ *Romanorum* virtute repellerentur, miles quidam anonymus motu proprio, insiliens in socii humeros, titionem è fumante vicinia arreptum, fenestris Templi injecit, eo Basilicæ, â DEO jam derelictæ, fato, ut ignivoma pestis illicò per parietes serperet, eámque totam brevi tempore inflammaret.

Lamentabili strage.

III. Videre erat lamentabilem desolationis ultimæ faciem! nam derepentè audiri ululatus horrifici, vicini colles, lamentis undique repercussis, infremere, pars plùs quàm belluinâ rabie in hostem erumpere, pars in ipsis Templi adytis funestam sortis infaustæ aleam operiri. *Romanus* miles intereà, etsi altùm reclamante *Tito*, non destitit furore surdo certatim flammas ingerere, Thesauros omnes, Vasa, Gazophylacia comburere, innumerabilem turbam, quæ Pseudo-vatum mendaciis decepta, in Templo auxilia Numinis exspectârat, *Vulcano* victimas immolare, ac nullo sexûs, ætatisve discrimine in omnes, vagâ ferri licentiâ, desævire.

Tito in Sanctuarium penetrante.

IV. Ipse *Titus* per medias flammas, & acer-

* Templum 10. *Augusti* die Veneris succensum, & eversum â *Nabucodonosore A. M.* 3447. & iterum 10 *Aug.* in cineres redactum â *Tito* post intervallum annorum 675. anno scilicet *M.* 4122. *V. C.* 821. *Christi* 70.

acervos cadaverum irruens, *Sancta Sanctorum*, antequàm ignem conciperent, ſpectavit cum gemitu; Sacerdotes è latebris prorepentes jugulari juſſit cum dicto: *exuſto Sanctuario Sacerdotibus haud opus eſt ampliùs*. Totum denique Templum, in cineres collapſum, ſolo æquari voluit, ut adeò impletum tandem ſit illud *Chriſti* oraculum: *Non relinquetur lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur*. (a)

V. Jam priùs Zelotæ, per medios hoſtium cuneos, deſperatâ ferociâ è Templo elapſi, in ſuperiori Urbe, *Sioníſque* propugnaculis, ad nova defenſionis molimina ſe ſe armaverant; ſed tandem adacti fame eorum Duces, *Simon* & *Joannes*, *Titi* alloquium poſtulârunt, & impetrârunt. *Titus* poſtquàm illis exprobrâſſet inauditam perfidiam, quâ Templum, Urbem, Patriam peſſumdediſſent, nihilominùs vitæ gratiam obtulit, ſi modò depoſitis armis *Romanæ* clementiæ ſe ſe permitterent. Sed quis credat arrogantem dementiam? Renuunt turbulenti hi Leopardali, juramentô adſtrictos ſe dictitantes, quô priùs mortem, quàm *Romanæ* ſervitutis ſubire vincula, tenerentur. Excanduit ſuprà, quàm dici poſſit, ad hanc ferociam *Titus*, & ſine mora inferiorem Urbem rapinis, ludibriis, cædibus, incendiis vaſtari juſſit. Infinita multitudo ferri furore, flammæque ſerpentis lue conſumpta eſt; nemo effugit, immò nemo effugere potuit.

Urbs inferior vaſtata & ſuccenſa, Simone & Joanne oblatam veniam reſpuentibus.

VI. Nam ab ipſis Zelotis in *Romanos* denuò irruentibus, *Judæorum* undecim millia, quæ *Titi* favore in Regali palatio tuti latuerant, partim ferro, partim igne deleta ſunt; alii, qui per fumantia rudera exitum, fugámque moliti erant, â *Romanis* capti, trucidati, canibúsque

Ipſis Zelotis in Cives ſævientibus.

(a) *Matth. 24. v. 2.*

que projecti, diem clausêre inter lamenta, ſolis Zelotis ad Urbis ruinam tripudiantibus, eò quòd non ſoli, ùt ajebant, ſed unà cum omnibus perirent.

Urbs Superior occupata. Timore Præſidii Panico.

VII. Sic vaſtata Urbe Inferiore, reſtabat Superior *Sionis* civitas, multo ſanguine non expugnanda, nî in ejus quoque exitium Fata ultricia conſpirâſſent. Exſtructis aggeribus plantatæ ſunt denuò machinæ, quæ vix partem muri repetitis dejecerant ictibus, cùm terrore panico conſternari Zelotæ, invictas turres, & teſte *Tito* ſolâ fame vincibiles, ſponte deſerere; denique condenſato agmine ſic in *Romanos* effundi, ut furorem ſolitum furentes, per haſtas, per enſes fugæ ſemitam aperire contenderint: ſed irruentium impetum fortiori impetu *Romanus* miles eluſit; unde factum, ut intra muros, veluti circum *Romanum*, concluſæ beſtiæ, amentes & ſtupidæ, dejectis animis huc illuc dilaberentur, & quæſitis latibulis imminentem jugulis Nemeſin trepidarent.

Vaſtata lamentabili Civium ſtrage.

VIII. Nec mora: inſiluit in murum miles, & præſidio deſtitutam irruens in Urbem, furori vindici laxavit frena. Horrendum dictu! jugulatæ cum viris fœminæ; ſenes cum parvulis eodem turbine protriti; juvenes cum puellis eodem ferro demeſſi; ædes denique exuſtæ omnes, ut ſanguinis rivos, per compita paſſim ruentes, ardor flammarum æmulus exſiccaret. Sic denique decimo octavo *Auguſti*, Sabbatho *Iudæis* rurſus funeſto, Urbs celeberrima ſuis ſepulta cineribus *Romano* jugo ſuccubuit, *Titúſque* fumantia *Solymæ* rudera in triumphum duxit, felix quòd vincere, infelix quòd victis parcere, ut ut voluerit, fatis prementibus non potuerit.

18. Auguſti.

Mel.

Mel. Quomodo unà cum Urbe Gens tota Regnúmque *Iudaicum* à *Tito* penitùs eversum? *Excidium Urbis, & Regni Quale?* X.

Leuc. Initium datum ab ipsa Regni Metropoli *Ierosolyma*: hac enim subactâ ex omnibus latebris, speluncis, cloacis, atque sepulchris extractæ sunt, plurium dierum impendio, Gentis infelices reliquiæ, quo tempore plures sibi ipsis illata morte; plurimi mutuis vulneribus se jugulantes; duodecim millia fame enecta servitutem præverterant. Tandem captivi omnes, in Templi ruderibus collecti, *Frontonis* arbitrio, fatalem tulêre sententiam. Templum devastat & Urbem. *Civium Jerosolymæ clades per sex dies integros.*

II. Pueritia intra septimum, decimúmque annum divendita; robustior ætas ad transtra laborésque *Ægyptios* est ablegata: multi ludis destinati & circis; plures cum bestiis certare jussi: pars potior in servitutem abstracta; pars nobilior triumpho est reservata, adeò ut captivi soli septendecim milliū numerū superarent: residua undecim millia, imbelle & promiscuū vulgus, immisso milite in frusta concisa sunt, ut suo sanguine Sanctuarii ruinis ultimò parentarent. *Captivitas.*

III. Tot inter funera, tot inter infelices captivos necdum erant omnium funerum, omnísque infelicitatis primi Authores, *Joannes* & *Simon*: sed & ille tandem urgente fame prodiit è cloaca; iste per subterraneos meatus, sub ipsis Templi ruderibus, concubia nocte, & ut vigilias terreret, mentito habitu candido, prorepsit: sed uterque agnitus, in vincula abstractus, in triumphum ductus, & per *Romanæ* Urbis compita raptatus interiit, fato tot sceleribus minimè congruo, multò minùs condigno. *Joannis & Simonis fata. Utriusque Captivitas. Mors.*

IV. Cæterùm, *Josepho* teste, obsidionis totius

Numerus omnium Judæorum hoc bello pereuntium.
Ultra tricies centena hominum millia.

tius tempore in servitutem abstracta sunt nonaginta septem; ferro, fame, peste perempta (*a*) undecies centena *Judæorum* millia: toto verò *Judaici* belli quinquennio in & extra Urbem capta, atque furore *Martis* consumpta asserit ultra sexcentos & nonaginta, (*b*) tricies centena, & triginta novem hominum millia, quæ veluti circo conclusa, subscripserint latæ à Majoribus suis sententiæ: *Sanguis ejus super nos, & super filios nostros.* (*c*)

Non incredibilis.

V. Neque *Josephi* calculus Eruditorum fidem excedit, qui nôrunt, quòd *Cestii* tempore agnorum Paschalium numerus (*d*) ad ducenta quinquaginta millia, supra sexcentos excurrerit. Cùmque unicuique Agno tributæ sint minimùm decem personæ, fluit, tunc temporis ad festum Paschatis diem *Judæorum* (*e*) milliones duos, ultra quingenta quinquaginta sex millia *Jerosolymam* confluxisse, in censum non venientibus iis, quos immenso numero vel impuritas, vel Lex à sacris arcebat, aut aliena negotia in Urbem attraxerant.

Urbs tota eversa. 8. Sept.

VI. Tandem octavo Septembris, ultimo *Solymæ* Sabbatho, post quinque obsidionis menses non integros, cùm nihil ampliùs reperiret crudelitas, quod occideret; avaritia, quod raperet, *Titus* Urbem totam, unà cum Templo funditùs everti jussit: relicta solummodò est pars muri quædam cum tribus turribus, *Phaselo*, *Hippico*, & *Mariamne*, quas sive pro præsidio, sive pro munimento Posteris reliquit *Titus*, ut intelligerent, hîc quondam

(*a*) 97000.
1100000.
1197000. (*b*) 1339690. (*c*) *Matth.* 27. v. 25 (*d*) 255600. (*e*) 2556000.

dam *Ierosolymam* stetisse, terræ delicium, Patriæ cœlestis typum.

VII. Reliqua solo æquata omnia, ut ne vestigium superesset: hinc Urbi epitaphii locò nos jure subscribimus in præterito, quod *Christus* dixerat in futuro: *(a) Venêre dies, quibus circumdata vallo, undique coangustata, ac in terram prostrata es unà cum filiis tuis; nec relictus in te lapis est super lapidem, eò quòd non agnoveris tempus visitationis tuæ.* *Solo æquata.*

VIII. Post hæc *Titus* mœstis ruderibus *Solymæ* non semel illacrymatus, *Cæsaréam* reversus est, ubi sicut & *Beryti*, *Judæi* certatim feris objecti, exercitui *Romano* cruenta non rarò spectacula exhibuêre. *Regni Eversio.*

IX. Domita subin seditiosa *Iudææ* sunt oppida, inter quæ memorabile præprimis propugnaculum *Massadæ*, ubi *Eleazarus* famosus Patriæ Zelotes occubuit, nongentis sexaginta sociis, mortem mutuam dividentibus per sortes, uxoribus verò ac filiis spontaneo rogo se se excidio Patriæ immolantibus. *Massada subacta. Mors Eleazari Zelotæ.*

X. Tandem *Titus* post domitæ *Iudææ* lauros, quas tamen non sibi, sed Numini, Gentis perfidæ ultori, palàm attribuit, triumpho magnifico *Romam* inductus est, *Palæstinæ* manubiis, Sacris Templi spoliis vasisque, ac septingentis mancipiis, inter quæ factionum Duces, *Simon* atque *Joannes*, pompam nobilitantibus. *Titi Triumphus.*

XI. *Eusebio* si fides, *Vespasianus* â *Josepho* persuasus, Regem æternum, è *Davidis* familia oriturum (dixisset veriùs ortum) ut sceptro suo consuleret, totus in eradicandam hanc stirpem incubuit. *Titus* verò *Judæis* impo- *Stirpis Davidicæ exstirpatio. Dispersæ Gentis reliquiis tributum impositum.*

(a) Luc. 19. v. 43.

imposuit, didrachmum, quotannis Templo inferri solitum, *Jovi Capitolino*, cui fanum in ipsis Templi ruinis erexerat, deinceps penderet,(*a*) ut ex hoc impietatis tributo colligeret Orbis, Gentem hanc â Numine repudiatam, non modò *Romanis* esse subditam, sed etiam Diis gentilium tributariam.

Judæorum fata post Regni eversionem Quæ?

XI.

Dispersâ totum Judæa Gente per Orbem.

Servitus miseranda.

Mel. Quæ post Templi, Regníque excidium, habuére fata infelices *Judææ* Gentis reliquiæ?

Leuc. è *Danielis* oraculo secuta est servitus, nunquam ampliùs terminanda. Nam exuti Templo, sacrificiis, civitate, Patriâ errabundi & exules vagantur modò per Orbem impii hi *Caini* Nepotes, exclusi á militia, officiis publicis, velut omnium Gentium sanna, atque ludibrium, fœtido corpore reprobationis stigma circumferentes, veluti nauseantis naturæ peripsemata, & humani Generis excrementa.

Ipsæ eorum lacrymæ censæ.

II. Solebant initio, ùt testis est D. *Hieronymus*, anniversaria eversæ *Solymæ* luce, soluta *Romano* militi mercede, in rudera vastatæ Urbis confluere, ut,*qui quondam emerant Christi Sanguinem, jam suas lacrymas emerent*, (*b*) ac in ruinis Patriæ fata sortis tristissimæ deflerent.

Adriani persecutio.

Mutatum Solymæ *nomen. repressa seditiosa molimina.*

III. Fluente sæculo secundo (*c*) cùm *Adrianus* Cæsar novam urbem sub nomine *Æliæ Capitolinæ* erigeret, seditiosæ *Iudæorum* reliquiæ, excavatis sub tellure gurgustiis ac receptaculis, conatus *Cæsaris* infringere, & antiquam *Solymam* resuscitare aggressi sunt: sed plùs quàm centum millium clade repulsi, fugati, totúmque inOrbem dispersi sunt, tanto *Cæsaris* furore,ut etiam ipsum Urbis è longin-

(*a*) *Moreri.* (*b*) *S. Hier. in Sophon. c. 1.* (*c*) *Moreri ad A. Ch. 132.*

ginquo aſpectum ſub pœna capitis prohiberet, excisum è marmore porcum portæ imponeret, ne intrare, etsi poſſent, haud ampliùs vellent. *Aſpectus Urbis prohibitus.*

IV. Immò ut *Christianis* quoque inviſam redderet Urbem, fanum in monte *Calvariæ Jovi*, in *Christi* ſepulchro *Veneri*, in *Bethleemitico* ſtabulo *Adonidi* erexit, sicque *Iudæam* totam Gentilitiâ ſuperſtitione contaminavit. *Profanatus Calvariæ mons, ſepulchrum, & cunæ Christi.*

V. Tandem Sæculo quarto *Julianus* Cæſar in *Christi* odium & contemptum nationem *Hebraicam* & animavit, & opibus adjuvit, ut antiquam Templi Baſilicam, inſultantes *Galilæo*, (ùt cavillabatur blaſphemus Apoſtata) è ruinis denuò reſtaurarent: *Sed Non eſt Conſilium contra Dominum.* (a) Nam quod de die erectum, de nocte dirutum mox denuò corruit; & denique erumpentes è fundo globi ignivomi, combuſtis machinis ac inſtrumentis, non tantùm conatus ſacrilegos diſturbârunt, ſed inſuper rubræ cruces, in operarum veſtibus conſpicuæ, cœptis deſiſtere, crucísque trophæum circumferre vel invitos compulerunt. *Juliani conatus irriti in reſtauranda Jeroſolyma.* *A. Ch. 363.*

VI. Atque hunc tandem exitum habuit Reſpublica *Hebræorum*, poſt tot viciſſitudines Populi, anteà à DEO electi, ſed denique reprobati juxta *Danielis* oraculum: (b) *Et Civitatem & Sanctuarium diſſipabit Populus cum Duce venturo, & finis ejus vaſtitas, & poſt finem ſtatuta deſolatio.*

Mel. Quomodo Synagogâ everſâ, nova *Christi* Eccleſia à *Christo* ſenſim erecta? *Eccleſiæ novæ, quæ Synagogæ ſubſtituta eſt, fundamenta Quæ? Apoſtoli. Martyres.*

Leuc. Fundamentum ſua morte poſuêre Apoſtoli, incrementum dedit Martyrum ſan-

(a) *Prov. 21. v. 30.* (b) *Dan. 9. v. 26.*

Persecutio prima Neronis. *A. Ch. 67.*

sanguis, fœcundum semen *Christianorum.*

I. Durante Bello *Iudaico* à *Nerone* suscitata est prima persecutio *Romæ*: Hac afflictam Ecclesiam ut Apostolorum Principes consolarentur, in Urbem reversi, *Simonis* Magi volantem fastum precibus humiliârunt. *A. Ch. 68.* Hinc conjecti in vincula cum sociis septem & quadraginta, quos undis è carcere scaturientibus per baptismum priùs abluerant, ad mortem educti, triumphârunt *Neronis* tyrannidem.

29. Junij. A. Ch. 69. Mors Principum Apostolorum.

II. *Petrus* quidem in *Vaticano* cruci affixus inverso capite; *Paulus* verò securi percussus est *ad aquas Salvias*; miraculo duplici Ecclesiam nobili ante, cùm sanguinis locò lac è *Pauli* collo profluxerit, ut testaretur Gentium Matrem, filiolos parturientem in *Christo*; capútque trino saltu tres fontes aperuerit, è quibus salutem etiamnum hauriunt Posteri.

Exilium D. Joannis Evangelistæ.

III. Sic Apostolorum virtute fundata Ecclesia, à D. *Ioanne* firmata fuit, & propagata: hic enim à *Domitiano* in Insulam *Patmos* relegatus exul, septem Ecclesias *Asiæ* sua Apocalypsi solidavit; *Ebionis* & *Cerynthi* hæreses extirpavit; Ecclesiæ militantis fata prædixit; & denique triumphantis Gloriam adumbravit, *Mors.* mortuus *Ephesi* anno *Christi* ultra centesimum primo ætatis septimo & nonagesimo. *

Observationes.

Observationes Politicæ Quæ?

Mel. Quæ Observationes Politicæ?

Exitium Regni Judaici florentissimi.

Leuc. Interiit Regnum, si quod fuit ab Orbe condito florentissimum, Authoritate DEI ere-

* An mortuus? *Vide Petrum Annatum in Appar. ad Theol. l. 2. Dub. 6.*

erectum, ejúsque Legibus administratum diu feliciter, conservatum etiam gloriosè: sed quod sub Regibus crevit, Regum vitiis denuò decrevit ita, ut destructum in *Babylonica* servitute, non nisi per Duces, fœderatos Superis, vires rursum receperit. Tandem *Herodianorum* perfidiâ concussum, *Romanorum* potentiâ eversum, fato suo succubuit illustre vicissitudinis humanæ ludibrium, vel potiùs tragicum Divinæ vindictæ spectaculum.

Causa Fundamentalis: Perfidia.

II. Causas porrò ruinæ tantæ assignant oculatiores Politici: *Fundamentalem* Nationis hujus, DEO semper rebellis, obstinatam perfidiam, ipsóque *Christi* Deicidio completam scelerum mensuram, qua ipsámet sibi dixit fatalem sententiam: *Sanguis ejus super nos, & super filios nostros.* (a) *Occasionalem* adstruunt *Flori* tyrannidem, qua *Judæam* non tam administravit ùt Prætor, quàm rapinis expilavit ùt prædo, cædibus devastavit ut latro, Gentémque libertati assuetam jugo despotico ad desperata seditionis consilia adegit. Tandem *Formalem & propriam* ajunt *intestina fuisse dissidia*, quibus per Zelotarum ausus prorsus abominandos *Ierosolyma* in se ipsa divisa, denique est desolata, ut adeò problema Orbi reliquerit, plúsne passa fuerit ab hoste quàm Cive; potiúsque suis, quàm *Romæ* viribus succubuerit.

Occasionalis: Flori Tyrannis.

Formalis: Intestina dissidia.

XII. Observationes Christianæ Quæ?

D. Providentia in fundanda nova Christi Ecclesia.

Mel. Quæ Observationes Christianæ?

Leuc. Divina Numinis Providentia I. *in fundanda nova Christi Ecclesia*, ipsis Synagogæ ruderibus electos lapides, Apostolos puto, in fundamentum sufficientibus. Iisdem ferè passibus crevit, quibus *Synagoga* decrevit, adeò ut radices jam egerit *Ierosolymis*, fundamenta jecerit *Antiochiæ*, & denique *Ro-*

(a) *Matth. 27. v. 25.*

Romæ ſupra Petram erecta ſit, eo robore, ut contra illam nunquam prævaliture ſint portæ Inferi.

In vindicanda Chriſti morte.

II. In vindicanda *Chriſti* morte: 1. Per *Cæſarem* peccârunt *Iudæi*, *Chriſtum* Regem legitimum repudiando: *Non habemus Regem niſi Cæſarem*: (a) per *Cæſarem* quoque puniti ſunt & devaſtati. 2. Per *Titum* delendi erant, mitiſſimum Principem, ne *Romanorum* furori, ſed Divinæ Nemeſi vindictam adſcriberent, ita ut *Titus* ipſe altiora fata agnoverit, ſéque invitum compelli ad delendam Urbem & Templum palàm ſit proteſtatus. 3. In *Oliveti* monte datum olim tragœdiæ *Chriſti* initium: & in eodem monte *Romanus* exercitus primò viſus, primò Urbem obſidione cingere cœpit. 4. *Chriſtus* in feriis Paſchatis, confluente ex omnibus *Iudææ* angulis infinita hominum multitudine, opprobriis & cruciatibus oppreſſus eſt: iiſdem feriis, quibus vicies centena & ſeptuaginta millia in Urbem convenerant, hæc ſimilibus tormentis preſſa, & undique coanguſtata eſt. 5. *Chriſtus* venditus eſt triginta argenteîs: unico denario venditi triginta *Iudæi*, quorum numerus 30. millia adæquavit. 6. *Chriſtus* à *Iudæis* captus eſt: capti quoque nonagies ſepties mille *Iudæi*. 7. *Chriſtus* arctæ cuſtodiæ eſt incluſus: *Iudæi* quoque elabi ne poſſent, novo muro Urbem cingente, quaſi indagine ferarum inſtar concluſi ſunt. 8. *Chriſtus* ardentiſſima ſiti excruciatus, aceto & felle à *Iudæis* potatus eſt: etiam *Iudæi* rabida fame adacti, ipſa ſtercora devorârunt. 9. *Chriſtus* ludibrio à Gente hac perfidiſſima habitus: etiam ipſa per Orbem contempta, & conculcata jacet totius humani Generis ludibrium & carcinoma. 10. *Chriſtus* fuit ab *Iudæis* cruci affi-

(a) *Joan.* 19. *v.* 15.

affixus: etiam tot *Iudæi* à *Tito* crucibus affixi quotidie, ut corporibus cruces, crucibus spatium deesset. Denique *Christus* â *Iudæis* occisus est: etiam in illa obsidione undecies centena *Iudæorum* millia interiisse dicuntur, ut adeò *Talionem* promeritum sint experti, & etiamnum hodie experiantur.

III. In *Ecclesia* sua hoc Divinæ Justitiæ exemplo ad virtutis omnigenæ studium *incitanda*. Nam *Ierosolyma*, Civitas illa Sancta, *Christiani* cujusvis typus est. Erat illa Civitas *visionis* & *pacis*, sedes Regia, tot Patriarcharum & Prophetarum virtutibus illustris, Legis Divinæ sacrarium, Religionis propugnaculum, electi â DEO Populi habitaculum, *Palæstinæ* Metropolis, Decus universæ terræ, Domina Gentium, felicitatis ac gloriæ domicilium, Sacratissimi Templi sinus, ipsius DEI Regia: & tamen suis sceleribus redacta est in lapidum cumulum ac miserabile bustum. Paria fata cuivis formidanda, quisquis pari perfidia peccat. Dies *pacis* est tempus vitæ; veniet dies *ultionis & iræ*: præcessit visitatio *clementiæ*; succedet *Justitiæ*: *ni cognoscat quisque, & quidem in die hac, quæ ad pacem illi, nunc autem sunt abscondita ab oculis ejus.*

In Ecclesia nova ad Virtutis studium incitanda.

Mel. Quæ Observationes Polemicæ?

Polemicæ Quæ?

Leuc. Hybnerus Juventuti Acatholicæ hæc *Christi* Verba interpretatur: *Ecce ego vobiscum sum, omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.* (a) Vobiscum ait, hoc est *cum Successoribus vestris*: haud equidem malus, sed neque sat bonus interpres, qui utique meliùs intulisset: *Vobiscum sum cunctis diebus*, per realem in Sacrosancta Eucharistia præsentiam, quam adstruxêre Antiqui; (b) *Illyricus* Juve-

Hybneri errores.

(a) *Matth.* 28. 20.

(b) *S. Amb. Euch. l. 4. de c. 4. Cyrill. in ep. ad Colossyr.*

Juvenis negavit; quem malè sequuntur, qui *Christum* solummodò deglutiunt, non conservant.

II. *Christus dedit suis potestatem patrandi prodigia, primis temporibus, nostris haud ampliùs necessaria.* Hæc ille. Necessaria fuêre prodigia pro fide instituenda: ergò etiam pro restituenda, seu reformanda: nam reformatio altera est institutio. Quæ igitur affert prodigia *Lutherus*, Evangelista quintus, totius Ecclesiæ reformator? affert haud dubiè, & quidem primæ classis, præsertim cùm Dæmones expellit. (a)

III. *Divus Paulus à Christo conversus est præter ordinem, quia per Christum: nos similem non exspectemus: habemus Moysen, & Prophetas.* Ego addo Prophetarum Interpretem, veram Ecclesiam; quam qui audire renuit, est DEO sicut Ethnicus & Publicanus. Hujus vocem utinam audiant, *ut qui nos modò exercent, convertantur, & nobiscum* ad DEI gloriam *exerceantur*! (b)



CAPUT

(a) *Vide Staphylum in absoluta* Respons. *contra Jac. Schmidelinum p. 404.* (b) *S. Aug. in ps. 54. ad 1. versum.*



CAPUT VIII.
& ultimum.

De Concomitante notitia requisita ad faciliorem Historiæ Sacræ intelligentiam.

Melander. Quæ hujus Capitis Divisio? *Leucotheus.* In quatuor Instructiones. Prima dabit notitiam Geographicam terræ Sanctæ. Secunda seriem Historiæ Sacræ Chronologicam. Tertia notitiam Genealogicam. Quarta Selectum rerum magis memorabilium, per artificialem Synopsin, Juventuti Gymnasticæ accommodatum.

Divisio Capitis Quæ? In quatuor Instructiones.

INSTRUCTIO I.

De Notitia Geographica Terræ Sanctæ.

Mel. Quæ Divisio hujus Instructionis? *Leuc.* In Paragraphos sex. Primus aget de *Geographia Sacra*, seu prima Orbis divisione, & successiva terræ inhabitatione, primáque Regionum & Nationum origine. Secundus de Chorographica descriptione Terræ Peregrinationis. Tertius de generica descriptione Terræ Promissionis. Quartus de Topographica descriptione terræ Sanctæ in specie, & quidem de Tribu *Iuda*, *Benjamin*, *Dan*, & *Simeon*. Quintus de *Tri-*

Divisio Instructionis primæ Quæ? In 6. §§.

bu *Ruben*, *Gad*, *Isachar*, *Ephraim*, & dimidia *Manassis* cis *Iordanem*. Sextus de Tribu *dimidia Manassis* trans *Iordanem*, *Zabulon*, *Nephtali*, & *Aser*.

§. I.

Geographia Sacra, seu Prima Orbis Divisio.

De Geographia Sacra, seu Prima Orbis divisione, & successiva terræ inhabitatione, Primáque Regionum, & Nationum Origine.

Orbis Divisio Quotuplex? *Melander*. Quotuplex est Orbis Divisio?

Leucotheus. A variis adstruitur varia; præcipua tamen est triplex: *Mathematica*, *Physica*, & *Politica*.

Mathematica Quid? *Mel*. Quid Mathematica?

Leuc. Est illa, quæ â Doctis fit per imaginarios circulos, quibus Cœli Terræque mutua connexio repræsentatur: de hac agetur alibi.

Quid Physica? *Mel*. Quid Physica?

Leuc. Est illa, quam facit ipsa Natura, dum Orbem dividit in *Continentem* & *Aquam*.

Continentis subdivisio Qualis? *Mel*. Quid in se complectitur Continens?

Mundus Antiquus, Novus, Incognitus. *Leuc*. *Europam*, *Asiam*, *Africam*, quas *Mundum Antiquum*; *Americam*, quam *Mundum Novum* appellant. Denique terras circa utrumque Polum, quas *Mundi Incogniti* vocabulo comprehendunt. Alii breviùs quatuor Mundi partes *Terram cognitam*; alias necdum inventas *Terram incognitam* appellant.

Aquæ subdivisio Qualis? *Mel*. Quid sub se continet Aqua?

Leuc. Ab Incolis Mundi antiqui, divisa est

in

in Oceanos quatuor. Primus â plaga dictus *Septentrionalis*; *Borealis* â vento; â frigore *Glacialis*. Secundus à plaga dictus *Meridionalis*; â vento *Australis*; ab *Æthiopia Africæ*, quam alluit, *Æthiopicus*. Tertius dicitur â plaga *Occidentalis*, seu *Occiduus*; â promontorio *Atlantis Atlanticus*. Quartus nominatur *Orientalis*, sive *Eous* â plaga; *Indicus* ab *India* Orientali, quam in *Asia* alluit. Sed postquàm detectus est alter Mundus, sive *America*, accessêre duo Oceani: ad *Americæ* dexteram *Mare Septentrionale Mar del Nord*; ad sinistram *Mar del Zur* sive mare, quod á qualitate *Pacificum* nominatur. Addunt alii tertium mare *Magellanicum*, sic dictum ab Inventore *Ferdinando Magellano*, quod *Americam* terrásque incoguitas meridiem versus præterlabitur.

Oceani Septentrionalis. Meridionalis. Occidentalis. Orientalis. Mare Americæ septentrionale. Pacificum. Magellanicum.

Mel. Quid Divisio Politica?

Divisio Politica Quid?

Leuc. Est illa, quæ pacis, bellíve impendio, aut alio modo facta est â Mundi hujus Monarchis in Imperia, Regna, Provincias, Principatus, Baronatus, Episcopatus, aliáque Dominia, quæ â Geographis per varia puncta, sive colores varios distinguuntur.

Mel. Quinam in Orbe locus omnium primò ab hominibus habitatus?

Primus locus habitatus Quis?

Leuc. Paradisus, quem hortum *Eden* Scriptura nominat, quia omnis generis deliciis refertum, maximéque frugiferum.

Mel. Quis loci istius situs?

Qualis situs?

Leuc. Temperatissimus, & Orientem versùs in Terra *Eden*, è qua scaturiit fons, qui irrigavit hunc hortum, inibique se divisit in quatuor flumina. Hæc & non plura, nobis insinuat de Paradisi situ S. Historia. (a) *

Mel.

(a) *Gen. 2. v. 8. & seq.* * *Vide Coll. Histor.*

Quæ flumina? *Mel.* Quænam ista quatuor flumina?

Phison. *Leuc.* Primus dicitur *Phison*, qui terram *Hevila*, seu *Arabiam Petræam* Australem ubi *Amalecitæ*, circumfluit, olim auro & onyche gemmâ prædivitem: alio nomine vocatur *Euphrates inferior*, & prope *Apameam* miscetur *Tigridi*. *Gehon.* Secundus est *Gehon*, qui circumfluit *Æthiopiam Arabicam*, olim *Madianiticam*, & hodie nominatur *Maharsares*. *Tigris.* Tertius *Kidekel* Latinis *Tigris* propter rapacitatem, alluitque *Assyriam*. Quartus *Pharath*, seu *Euphrates*, qui se se in *Armeniam*, atque *Syriam*, *veterem* effundit. * *Euphrates.*

Paradisi locus Quis? *Mel.* Quem Paradisi locum, ex his fluminibus, divinant Authores?

Leuc. Alii majorem *Armeniam*, quæ hodie *Turcomannia*, & quidem viciniam Montium *Ararath*, quia ibidem oriuntur *Tigris*, atque *Euphrates*. Alii verosimiliùs assignant *Syriam veterem*, quæ hodie *Diarbeker* dicitur, & quidem circa *Mesopotamiam* & *Chaldæam*, non procul urbe *Bagdad*, sinúque *Persico*, quæ regio dicta est *Auronitis*. **

Mel.

* An horum origo reverà ex Paradiso, an alii hujus nominis? *Vide Coll. Histor.*

** Sententiam probat *Huetius* Epis. Abricensium cit. in Apparatu Biblico P. *Bern. Lamy l. 1. c. 3. fol. 71.* Rationem affert primo, quia hæ regiones cæteris fertiliores *Saliano teste*, & circa easdem confluunt *Euphrates* & *Tigris*. Secundo, quia à primis hominibus cultæ; nam *Cain* habitavit in *Eden*, quæ circa *Mesopotamiam*. Tertio quia sic intelligitur, quomodo de Terra *Eden*, sic dicta propter *fertilitatem*, egressus sit fluvius ad irrigandum Paradisi hortum, qui situs erat in Terra *Eden* Orientem versus. Quarto, quia sic intel-

Mel. Quænam in Paradiſo Religio? *Religio in Paradiſo Quæ?*

Leuc. Perfecta, quia fundata in cognitione clariſſima Creatoris, ac originali Juſtitiâ: conſiſtebat in obſervatione unius præcepti, de non edendo fructu ex ligno ſcientiæ, quod tamen præpoſtera *Evæ* libidinie, & ſerpentis præcipuè aſtu eſt violatum, non ſine infortunio maximo totius Generis humani.

Mel. An etiamnum ſupereſt Paradiſus? * *An Paradiſus ſuper?*

Leuc. Probabiliùs univerſali diluvio deſtructus interiit.

Mel. Quem terræ tractum Protoparentes Paradiſo ejecti, primùm habitare, & colere cœperant? *Locus Adami Paradiſo ejecti Quis?*

Leuc. Ferunt aliqui agrum, ex quo ſumptus eſt homo, ſeu viciniam *Hebron*, ubi terra à rubedine dicta *Adama*, ſeu *Damaſcena*: ſed ſilente Scriptura incerta omnia; illud indubitatum, *Adami* Poſteros ædificâſſe Urbes, & Regiones varias incoluiſſe.

Mel. Quænam Regiones illæ? *Primæ Regiones Quæ?*

Leuc. Omnes ſciri non poſſunt: Scriptura nominat Terram *Eden*, *Chus*, *Hevila*, *Aſſur*, & *Nod*.

Mel.

intelligitur, quomodo fluvius iſte permeans Paradiſum, *inde ex* utraque parte *diviſus ſit in quatuor capita* Gen. 2. hoc eſt *initia*: in duo nempe ante ingreſſum, *Tigrim* & *Euphratem*: in duo alia poſt egreſſum è Paradiſo, *Phiſon* nempe & *Gehon*. *Dices*: Capita non indicant tantùm initia. ℞. n. Nam hoc colligitur ex ſimili Scripturæ phraſi: ſic caput viæ dicitur initium viæ; ſic de linteo quadrato in actis Apoſtolorum dicitur, quòd *habuerit quatuor initia*.

* *Vide Colleg. Hiſtor.*

Ubinam sitæ? Eden.

Mel. Quis situs terræ *Eden*?

Leuc. Si *Spanhemio* fides, *Orientem versus* spectavit *Assyriam*, seu campos *Mesopotamiæ* primæ; versus *Occidentem Palæstinam*, & *Arabiam* pro limite habuit.

Mel. Ubinam Regiones reliquæ?

Hevilat. *Chus.* *Nod.*

Leuc. E meliore Interpretum calculo terra *Hevilat* olim sita erat in felice *Arabia*, ubi gemmæ, aurique venæ abundant. (*a*) *Chus* verò circa confinia *sinûs Persici*. *Assur* videtur fuisse sita, ubi postmodùm *Assyria*. (*b*) Terra *Nod*, (*c*) quam incoluit *Cain*, cis terram *Eden* videtur fuisse Regio, ubi postmodùm *Chaldæa*. *

An Urbes ante diluvium?

Mel. An habitatæ Urbes ante diluvium?

Leuc. Procul dubio; partim causâ commoditatis, partim securitatis. S. Scriptura (*d*) meminit unius Urbis *Henoch*, ædificatæ à *Caino*, dictæ à Nomine Filii, & verosimiliùs sitæ in terra *Nod*.

Arca fabricata ubi?

Mel. Ubinam Arca ædificata à *Noë*?

Leuc. Probabiliore Authorum calculo in *Assyriâ*; & quidem in vicinia *Babel*, quia ibi primorum hominum frequens colonia, & abundantia *Gopher*, seu Cedri, ex qua Arca est fabricata.

Regiminis forma Quæ?

Mel. Quæ Regiminis forma ante diluvium?

Leuc. Initio cuivis Familiæ arbitraria: sed ubi propagatum crevit humanum Genus, crevêre oppida, ex oppidis formatæ Urbes, ex Urbibus sunt erectæ Respublicæ. Denique è malo Proborum commercio cum *Cainitis* prodiêre Gigantes, qui per tyrannicum Regimen oppressis omnibus, infanda scelerum lue terram compleverant, non nisi aquis diluvii denuò purgatam.

Mel.

(*a*) *Gen.* 2. *v.* 11. (*b*) *Gen.* 2. *v.* 14. (*c*) *Gen.* 4. *v.* 16. (*d*) *Gen.* 4. *v.* 17.

* Alii aliter. *Vide Coll. Histor.*

Mel. Quæ in hac Mundi ætate Religio? *Religio.*

Leuc. DEO oblatæ victimæ, & holocausta, quibus Creatori debitum cultum, spémque suam in Redemptorem venturum testati sunt.

Mel. An nulla hoc tempore Hæresis? *Hæresis.*

Leuc. *Cainum*, ejúsque asseclas eò prolapsos ajunt, ut DEUM negaverint providum, nec agnoverint Remuneratorem bonorum, malorúmque Vindicem: (*a*) hinc Patriarchis frustrà in impios detonantibus, secutus est Cataclismus.

Mel. Ubinam post diluvium requievit Arca?

Leuc. In Jugo *Lubac*, uno è montibus *Ararath* majoris *Armeniæ*. Hanc proin *Noë* cum suis primò excoluit: subin se vertit in *Syriam* Occidentem versus; & multiplicatis jam Posteris in Regionem *Senaar* Orientem versus, ubi ædificata est Turris *Babel*, post Turrin civitas *Babylon* sita propter fluvium Euphratem. *Habitatio Noë post diluvium Quæ?*

Mel. Quò post linguarum confusionem, se se converterant *Noëmi* Filii? *Terræ divisio in Noë filios Quæ?*

Leuc. In totum dispersi sunt terrarum Orbem. *Semo* obtigit *Asia*, ab *Euphrate* usque ad mare Indicum: habitavit primò *Chaldæam*, dein *Ægyptum*. *Chamus* obtinuit *Africam*, *Arabiam*, *Syriam*, *Æthiopiam*: habitavit primò juxta *Euphratem*. *Iapheto* cessit *Europa*, & pars *Asiæ* Occidentalis, quæ cis *Euphratem* à *Tauro* monte divisa excurrit ad Archipelagus, seu mare *Ægeum*; habitavit primò *Insulas Gentium* (*b*) quas alii nominant *Europam*. *A. M. 1788.*

(*a*) *Salianus*, & alii Interpretes (*b*) *Gen*, *1*. *V*. *05*.

Non semper servata.

Mel. An hæc divisio servata semper?

Leuc. Minimè: nam multi è Posteris *Cham*, & *Iaphet* venêre in *Asiam*, & è *Semi* propagine multi in *Africam* & *Europam*.

Nationum origo Qua?

Mel. Quæ in terra Nationum origo?

Leuc. Certi si nihil petas, conjecturæ Authorum referri possunt. (*a*) Hos inter convenit, quòd sicut propagatio Generis humani post Diluvium à *Noëmo* proveniat, ejúsque tribus Filiis *Iaphet*, *Sem*, & *Cham*, ita ab iisdem & Populi sua nomina, suámque trahant originem. At quomodo horum Posteritas in tot nomina, & Nationes divisa sit, illud incertum, & forsan imaginaria verborum analysi sæpiùs nixum, quàm in solido fundamento.

Incerta.

Posteritas Semi Qua?

Mel. Quænam *Semi* Posteritas dignitatē prima?

Leuc. Consistit in quinque Filiis. Primus *Elam*; unde *Elamitæ*, è quibus *Persæ*. *Secundus Assur*; unde *Assyrii*. *Tertius Arphaxat*, cujus Filius *Sale*, Pater *Heberi*; unde oriundos *Hebræos* autumant. *Quartus* Filius *Semi* *Lud*; unde *Lydii*, non illi ex *Asia* minore, sed minùs cogniti in confiniis *Persiæ*. *Quintus* *Aram*; unde *Syrii*: nam *Syria* hebraicè per *Aram* significatur.

Nomen Hebræi non ab Hebero, Sed Abramo.

II. Dixi, quòd ab *Hebero* aliqui *Hebræos* oriundos autument. Quia veriùs hæc denominatio desumitur ab *Abramo*, quem venientem in *Chanaan* Incolæ appellârunt *Hebreu*, hoc est, D. *Augustino* Interprete, *transfluviatilem*; eò quòd transiisset *Euphratem*, qui priùs habitâsset trans fluvium. Hinc veriùs ab *Hebero* nomen sortita est lingua *Hebræa*;

(*a*) *Vallemond* in Elementis Historicis, & alii.

bræa, non Posteri; eò quòd nullius ex *Heberi* Posteris per septē generationes dictus *Hebræus*, sed primus Nomen hoc portaverit *Abraham*.

Mel. Quænam *Chami* posteritas?

Quæ ex Posteritate Chami?

Leuc. Quatuor Filii nominandi veniunt. Primus *Chus*, qui linguâ *Hebraicâ* significat *Æthiopiam*; unde *Æthiopes*. Secundus *Mesraim*, qui hebraicè sonat *Ægyptum*, in qua hodiedum Civitas *Mesra*; unde *Ægyptii*. Tertius *Phut*, unde Populi *Lybiæ*, & *Mauritaniæ*, id indicante fluvio *Phut*. *Quartus Chanaan*; unde *Chananæi*, Incolæ terræ Sanctæ. *Chus* inter alios Filios genuit *Nembrot*, & *Saba*; unde *Sabæi*. *Mesraim* sex inter Filios habuit *Ludim*; unde *Lydii*. *Chanaan* inter undecim Filios numeravit *Sidonem*; unde *Sidonii*: *Hetæum*; unde *Hetæi*: *Iebusæum*; unde *Iebusæi* &c. & in his Populis impleta *Noëmi* est maledictio, cùm per *Semi* Posteros sunt subjugati, & è terra *Chanaan* ejecti.

Mel. Quænam *Japheti* Primogeniti Posteritas?

Quæ ex Japheti?

Leuc. Septem filiis, veluti totidem ramis genealogicis, constare dicitur. *Primus Gomer*; unde Populi *Galatiæ*. Secundus *Magog*; unde *Messagetæ*, & *Scythæ*. Tertius *Madai*; unde *Medi*, aliíque Populi vicini. Quartus *Javan*; unde *Jonii*, & *Græci* omnes. Quintus *Thubal*; unde *Iberii* trans pontum *Euxinum*, & juxta aliquos *Hispani*. Sextus *Mosoch*; unde *Moscovitæ*, *Cappadoces*. Septimus *Thiras*; unde *Thraces*. *Gomer* inter tres Filios numeravit *Ascenem*, â quo non nulli *Alemannos* oriundos putant, quos *Hebræi* adhuc hodie dicunt *Askensin*.

Germaniæ Populi unde?

II. Dixi oriundos putant: nam alii aliter loquuntur. Ab *Aventino* statuitur *Tuisco*, qui

qui *Abrami* tempora antecessit regnavitque in *Europa*; unde *Teutones*. A *Manno* alii derivant *Alemannos*: ab *Ingervon* ejus fratre *Ingevones*: ab *Istervvon Istævones*: ab *Hermanno Germanos*: â *Suevo Suevos &c.*

Inter Noëmi Posteros Regimen Quale?

Mel. Quale inter *Noëmi* Posteros viguit regimen?

Leuc. Post fata *Noëmi* varium fuit, prout nempe multiplicati Posteri, sic se varias in Civitates, Regiones, atque Respublicas congregârunt. Primum Regnum erexit *Nembrot* Filius *Chus*, & *Chami* improbi scelestus Nepos, qui oppressis reliquis, se supra Fratres arroganter extulit Tyrannus: unde Monarchia prima *Assyrica*.

Religio Quæ?

Mel. Quænam tunc temporis Religio?

Leuc. Pars pleraque derelicto cultu veri DEI, quem â *Noëmo* didicerant, secuta est Idololatriam, usquedum è Familia *Thare* DEUS sibi Virum selegit, *Abramum* nomine, cujus Posteritas præscriptis Eum ceremoniis coleret, cultúque debito adoraret.

§. II.

De Choorographica Descriptione Terræ Peregrinationis.

Causa Peregrinationis Abrami in Terram Chanaan Quæ?

M*Elander*. Quæ causâ peregrinationis ab *Abramo*, ejúsque Posteris susceptæ in terram Promissionis?

Leu-

Leucotheus. Cùm DEUS cerneret, quòd post Diluvii pœnas humanum Genus iterata scelerum lue esset corruptum, è mediis Idololatriæ tenebris vocavit *Abramum*, Virum justum, ejúsque Posteros selegit sibi in Populum peculiarem. Huic proin *Abramo* promisit Terram *Chanaan*, jussítque, ut illam priùs peregrinatione lustraret, dum tandem completâ scelerum mensurâ, & Incolis ferro vindice deletis, eandem acciperet, à suis Posteris possidendam. *Vocatio Numinis.*

Mel. Quas Provincias complexa *Abrami* peregrinatio? *Peregrinatio hæc quot complexa Provincias?*

Leuc. Mesopotamiam, *Chanaan*, quæ modò *Palæstina*, *Ægyptum*, & *Arabiam Petream.*

Mel. Quænam oppida in *Mesopotamia* scitu digniora? *Oppida scitu digna in Mesopotamia.*

Leuc. 1. *Ur Chaldææ* Provinciæ in *Mesopotamia*, ubi primò vocatus â DEO est *Abram.* 2. * *Haran*, *Chaldææ* Civitas, hodiè *Diarbecker*, ubi secundò est evocatus. Hanc Urbem *Thare*, *Abrami* Pater, vocaverat *Haran*, in memoriam cognominis Filii, à quo postmodùm progenitus est *Lothus*. In hac ipsa Urbe sedem fixerat *Nachor*, è cujus Posteris, *Phanuele* scilicet, *Eliezer Isaco* tulit *Rebeccam*; *Jacob* â *Labano* obtinuit *Liam* & *Rachelem*. Primò ædificata dicitur â *Cainan*, *Arphaxadi* Filio; lapsu temporis dicta est *Carra*, à cognomine fluvio: Urbs *Romanorum* tempore famosa propter *Crassum*, qui ab *Orode*, *Parthorum* Rege, hìc victus, occisus, & plùs quàm septies mille Talentis est spoliatus. Celebratur insuper ob Templum, in *Quæ? Ur Chaldaeorum. Haran.*

* Vide Chartam Geographicam in Institut. Historicis Parte 2. de 4. Monarchiis.

in quo DEUS *Lunus*, & Dea *Luna* culti ſunt hoc diſcrimine, quòd adorans *Lunum* ſemper ſuæ manſerit conjugis Dominus; adorans *Lunam* uxori ſubjectus vivere debuerit.

Quæ in Ægypto?

Mel. Quid in *Ægypto* memorabile?

Terra Geſſen.

Leuc. Primò Terra *Geſſen*: pars inferioris *Ægypti*, opima paſcuis, & vel ideò paſcendis gregibus opportuna: unde *Joſephi* Proregis operâ *Jacobo* Patriarchæ, ejusque Familiæ â *Pharaone* conceſſa eſt. Ibi multiplicata legitur *Jacobi* Poſteritas; & *Ægyptiis* plagis durantibus, hæc ſola Regio immunis manſit â muſcis, grandine, tenebris &c. hodie *Cairum* dicitur.

Rameſſe Urbs.

II. Urbs *Rameſſe*, una ex illis, quas Filii *Iſraël* ædificaverant *Pharaonis* imperio, ſita in terra *Geſſen*, & à Tabernaculis, in quibus habitare ſoliti ſunt *Iſraëlitæ*, dum eandem erigerent, dicta eſt Urbs *Tabernaculorum*. Olim nominatus eſt pagus *Arſenoites*.

In Arabia Petrea Quæ?

Mel. Quid in *Arabia Petrea* memorabile?

Leuc. *Arabia Petrea*, ſic dicta ab oppido *Petra*, petræ impoſito, mare rubrum & *Ægyptum* habet *verſus occidentem*; *ſeptentrionem verſus Palæſtinam*; *Arabiam* deſertam *versus orientem*; & *versus meridiem* montana, quæ eam ſeparant ab *Arabia* felice. Hæc prodigiis omnibus, & quadraginta annorum peregrinatione *Iſraëliticâ* celebris eſt, ubi etiam naſci *Phœnicem* dicunt. * In hac porrò.

Terra Madian.

Memorabilis I. Terra *Madian*, ſic dicta à *Madiano*, Filio *Abrahæ* & *Cethuræ*, ubi olim habitaverant *Madianitæ*. Ibidem celebre viſitur deſertum *Madian*, in quo *Moyſes Jethronis* pecora paſcebat Paſtor; ubi etiam viſenda

* Vide Chartam Geographicam.

ſenda erat Civitas *Madiena*, *Jethronis* ſedes, & puteus propinquus, apud quem Filias *Iethonis* defendit *Moyſes*.

Memorabilis II. Terra *Amalec*, in deſerto *Pharan*, finitima terræ *Madian*, cujus Populi *Iſraëlitas* in *Raphadim* adorti, orante *Moyſe*, ſunt profligati: ſed hi ipſi *Iſraëlitas* poſtmodùm, invito DEO pugnantes, fugârunt â *Seir* uſque *Horma*. Contra hos pugnatum feliciter eſt à *Gedeone*; deinde à *Saule*, qui tamen malè pius pepercit *Agago*. Denique à *Davide* morante in *Siceleg* hi ipſi ſæpiùs ſunt infeſtati. *Terra Amalec.*

Memorabilis III. Terra *Moabitis*, ſic dicta à *Moabo* filio *Loth* incæſtuoſo, cujus Metropolis erat *Moab*, alio nomine *Areopolis*. In illa notum eſt deſertum; nota ſunt campeſtria *Moab*, ubi *Iſraëlitæ* diu morati; in cujus monte *Abarim* fatis conceſſit *Moyſes*; in cujus planitie ſuperatus eſt *Balac*. Hic ipſe Populus victus quoque eſt ab *Abodo*, *Davide*, & aliis. In hanc Regionem peregrinatus eſt *Elimelech* cum *Noëmi* conjuge. Hic velut in aſylo Parentes à *Davide* exule morari juſſi ſunt; hujus Populi fœminis, à *Salomone* infeliciter adamatis, erectum eſt fanum, Idolo *Chamos* ſacrum. Terminatur hæc Regio Torrente *Arnon* ab ortu, *Jordane* ab occaſu. *Terra Moab.*

Mel. Quænam deſerta memorabilia? *Memorabilia deſerta Quæ?*

Leuc. *I.* Deſertum *Pharan*, in *Arabia* deſerta ampliſſimum, utpote undecim dierum itinere extenſum, invium, aridum, ſqualidum, & nullis habitabile Incolis: hìc videre eſt montana, & campeſtria *Pharan*: ubi *Iſmaël* educatus; ubi *Iſraëlitæ* per quadraginta annos vagati ſunt infelices Peregrini. *Solitudo Pharan.*

II. In hac ſolitudine memorabilis altera ſoli- *Deſertum Sin.*

solitudo *Sin*, quæ à Mari rubro, & *Elim* extenditur usque ad montem *Sinai*: in hac legimus mansiones Populi *Israëlitici* quinque; ad Mare, *Sin*, *Daphea*, *Alus*, & *Raphidim*, quæ partes sunt hujus deserti diversæ, ubi missas coturnices, & cœleste manna depluisse Scriptura memorat. Pars altera solitudinis *Pharan* vocatur *Zin*, seu *Cades*, ubi mortua est *Maria*; ubi petra bis â *Moyse* percussa; ubi missi sunt nuntii ad Regem *Edom* pro impetrando transitu; ubi dimissi Exploratores.

Montes Memorabiles Qui?

Mel. Quinam Montes memorabiles in *Arabia Petrea?*

Mons Horeb.

Leuc. Memorabilis I. in iisdem montanis deserti *Sin jugum duplex*, quorum primum demissius ab Occidente *Mons Horeb*; alterum elatius ab Oriente *Mons Sinai*, â deserto cognomine, dicitur. In sacro Codice confuso sæpè nomine, uterque *Mons Sanctus* appellatur. Circa hæc juga detentus diu est Populus *Israël*: hinc utrumque ostentis variis celebre legimus. In Monte *Horeb* vocatus est *Moyses*, dum pasceret oves *Jethro*: ex hujus petra â *Moyse* percussa in *Raphidim* effluxit murmuranti Populo unda: Prope *Horeb* profligatos scimus *Amalecitas*: in hunc montem fugisse *Eliam* sacra Scriptura insinuat.

Mons Sinai.

II. Mons *Sinai*, ad cujus confinia fuit duodecima mansio, celebris â Gloria Domini, *Moysi* monstratâ; â Lege data præcipuè memorabilis. Circa hunc montem & vitulus aureus est formatus, fabricatum Tabernaculum, constitutus Sacerdotum Ordo &c.

Memoranda in monte Sinai.

III. Mons uterque Turcis *Gebel Mousa*, seu *Mons Mosis* dicitur: fuitque olim sacellis plurimis, & quatuordecim Eremitarum millibus

bus celebris. In pede montis Cœnobium visitur, â quo olim per 1400. gradus ad jugi apicem patebat ascensus, quorum vestigia etiamnum exstant. Ipsum jugum portâ clausum est, nec aperitur nisi illis, qui per exomologesin ab animi maculis priùs ritè se expiârunt. In culmine monstratur spelunca, ubi *Moyses* per quadraginta dies moratus est; alia ubi eidem Lex data est; alia ubi transiit gloria Domini. Mons alius valle distinctus sepulchrum exhibet Divæ virginis *Catharinæ*.

IV. Montana *Abarim*, ad ipsum usque *Jordanem* protensa excurrunt, circa quæ fuit statio prima & quadragesima. In his celebre est Jugum *Phasga* ac *Nebo*, è quo *Moysi* Terram Promissionis â longè salutare, & aspicere datum est. *Mons Abarim.*

§. III.

De Topographica descriptione Terræ promissionis in genere.

Mel. Quod huic Terræ nomen tribuêre Antiqui? *I. Prima colit Chanaan.*

Leuc. I. Dixêre *Terram Promissionis*, quia *Abrahamo*, ejúsque Posteris promissam. *Nomina Palestinæ. Terra Promissionis.*

II. *Sacram* itidem appellârunt â Populo DEI electo, ac Incolis Religioni veræ sacratis; â tot sanctissimis Patriarchis, Prophetis, â Sanctitate ipsa Incarnata, *Christo JEsu*, qui hanc Terræ portionem & suâ præsentiâ, & cœlesti doctrinâ, infinitisque propè miraculis reddere *sacram* dignatus est. *Sacra.*

III. *Palestinæ* nomine & *Latini* vocant, & *Græci* ab *Hebraico* etymo *Pelischthim*, quod *Palæstina.*

Philistæos significat, qui priùs Regionem hanc coluêre.

Chanaan. IV. Eandem ob rationem *Terra Chanaan* nominatur, â *Chanaitis*, prioribus Inquilinis, sic dictis â *Chanaan* Filio *Cham*.

Terra Israël. V. Denique & *Terra Israël* à Filiis Patriarchæ hujus, & *Terra Juda*, sive *Iudæa* â Tribu hujus Populi principe indigitatur.

VI. â *Iudæis* simpliciter dicta est *Terra*, ut insinuarent excellentiam, in cujus comparatione reliquus Orbis *hoc Nomen*, non nisi per analogiam minùs propriam, promeretur.

Orbis Divisio apud Judæos Quæ? VII. Unde arrogans Natio, unà cum Orbe Homines divisit in duas solummodò classes: scilicet in *Iudæos*, qui *Terram Israël*; & in *Paganos*, ac *Gentes*, qui phrasi *Hebraica* habitaverant *extra Terram*, hoc est, per partes reliquas Universi. Tota *Palæstina* hodie *Soria*, seu *Syria* appellatur à *Turcis*.

Mel. Quis situs Terræ sanctæ?

Situs Terræ sanctæ Quis? *Leuc.* Est *Asiæ* parva, sed tamen nobilissima portio, ad gradum altitudinis 32. 33. & 34. Marísque mediterranei fines tangit. *Ad Orientem* respicit *Arabiam Petream*, Terram filiorum *Ammon*, & *Moab* cum parte *Syriæ*: *ad Occidentem* excurrit ad Mare mediterraneum: *Meridiem versus* adjacet Regioni *Edom*, & *Ægypto*: *versus Septentrionem Syriæ*, atque *Phœniciæ* vicina jungitur.

Magnitudo Quæ? *Mel.* Quæ Magnitudo Terræ Sanctæ?

Leuc. De hac *Iosue*: *à deserto usque ad fluvium Euphratem, omnis Terra Hethæorum usque ad mare contra Solis occasum erit terminus vester.* (a) *Ubi ortum versus Euphratem: versus occasum* Mare magnum; *ad meridiem* desertum *Sin* & *Cades*; *ad septentrionem*

(a) *Jos. 1. v. 4.*

nem montem *Libani* ſtatuit, quem totum Terræ tractum non occupârat Populus *Iſraël*. Hinc *longitudo* Terræ ſanctæ in S. Scriptura communius ſumitur â *Dan* usque *Betſabée*: * *latitudo* â *Ioppe* usque *Bethlehem*, ſic ut illa, teſte S. *Hieronymo* quadraginta circiter, à meridie usque ſeptentrionem; hæc ab occaſu in ortum viginti propemodùm milliaria *Germanica* complectatur. Aliis longitudo 160. latitudo 66. paſſuum millia emittitur. Unde cùm *ſpatioſam*, ſeu *latiſſimam* (a) aſſerit S. Scriptura, id ſacri Interpretes intelligendum putant, comparatione habita ad ſpatium captivitatis, ſeu terram *Geſſen*, quam *Iſraëlitæ* habitaverant in *Ægypto*. *Spatioſa reſpectivè.*

Mel.

* Rerum Imperiti conſulant *Adrichomium*, qui in *Theatro Terræ ſanctæ*, *Præfatione ad Lectorem* ita diſſerit: *Longitudo* Terræ ſanctæ ab *Aquilone* à civitate *Dan* uſque ad *Betſabëe* verſus meridiem porrigitur plùs minùs ſexaginta ſeptem milliaribus, quæ ſingula unius horæ itinere commenſuranda ſunt. Attendat autem Lector me ſecutum eſſe *Brocardum*, neque temerè judicium ferat, ſi *Hieronymi*, & aliorum milliaria legat, quæ plurimùm ab hac ratione diſtant. *Latitudo* verò, quæ ab *Occidente* â Mari magno in *Orientem* ad *Jordanem* ſumenda eſt, quibusdam locis ſedecim, quibusdam octodecim milliaria complectitur: quòd autem *D. Hieronymus in ep.* ad *Dardanum* Regionem â *Dan* usque *Betſabëe* 160. milliarium; â *Joppe* autem, usque *Bethlehem* 46. milliaria ſcribat, *Italica* intelligit, quorm ferè tria unius horæ milliare abſolvunt. *Ita ille.*

(a) *Exod. 3. v. 8. Joſ. 13. v. 1.*

Fœcunditas Qualis?

Mel. Quæ Terræ hujus fœcunditas? *

Leuc. Si consulas Scripturæ sacræ oracula, eam asserit *Terram bonam*, & *valde bonam*, (a) imò in hebraica phrasi emphatica *valde valde bonam*: alibi ait, *lacte & melle manantem*, ut meritò S. *Hieronymus*: *reverà nihil terrâ Promissionis pinguius.* *Josephus* testatur de *Galilæa*, *opimam esse*, *ac fertilem*, & omnis generis arboribus consitam, ut etiam agriculturæ incurios provocet. *Samaria* & *Judæa* Regiones montosæ, atque campestres, eminent fœcunditate, etiam absque cultura, multiplicante se se frumenti semine. Nec deest aquæ dulcedo, vitis tanta fœcunditas, ut *Gabriel Bremondus* (b) in valle *Sorec* racemum uvæ viderit, triginta libras ponderantem. Paucis: campestria abundant tritico, oleo, vino; montana pascuis; sylvæ apibus; unde *lacte* fluebat, & *melle*: quas Terræ divitias, mercimonii questu, *Tyriis* vendebant Incolæ. (c) Accessit *temperies aëris* sanitati ita accommoda, ut ætatem planè decrepitam pars pleraque attingeret, ipsis montium umbris

Sup. c. 5. Jos.

L. 2. de captiv. c. 4.

Temperies aëris.

* *Quæres*: Quomodo intelligenda sint illa verba *Deuter. 11. v. 10?* *Terra, ad quam ingrederis possidendam, non est sicut terra Ægypti, ubi jacto semine in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ; sed montosa est & campestris, de Cælo exspectans pluvias.* ℞. 1. Videri posset, *Ægyptum* fœcunditate præferendam: *1.mò.* Quia irrigatio pro libitu melior est, quàm exspectatio pluviæ incertæ. 2. Quia *Asa*, *Calebi* filia *1. Jud. v. 15.* id expresè insinuat, dum dicit: *terram arentem dedisti mihi, da & irriguam.* 3. Quia â *Diod.*

(a) *Exod. 3. v. 8. Num. 14. 7.* (b) *In itiner. Gall. in Ægyptum.* (c) *Ezech. 27. 17.*

bris & rivulorum susurris miram temperiem Regioni afflantibus.

Mel. Quam frequens Incolis quondam fuerat Terra sancta?

Incolarum multitudo quanta?

Leuc. Josephus, vel ideò fide dignus, quia oculatus testis per solam *Galilæam ducentas & quatuor urbes, ac vicos* numerat: mox addit: *Urbs autem minima, aut vicus habuit plùs quàm quindecim millia capitum*, è quo fluit, in sola *Galilæa* ultra trigesies centena hominum millia fuisse numerata.

II. Multitudo colligi potest è Sacrificiis in solemnitate Paschatis immolatis. Nam sub tempora *Neronis*, *Cestio Judææ* Prætore, victimarum numerum petente, agnorum Paschalium summa ascendit ultra ducenta quinquaginta quinqne millia, licèt *Iudæi*, *Neronis* ætate, mediam partem fuerint jam imminuti. Accedit, quòd ad unius agni Paschalis cænam invitati plerumque sint decem; non ra-rò

â *Diod. Siculo. l. 1.* & aliis tota *Ægypti* fœcunditas eluvionibus *Nili* adscribitur. Sed ℞. 2, Terra *Chanaan* est præferenda *imò*. Quia ob specialem Numinis providentiam Terræ huic, tot elogiis promissæ, deesse non poterant opportunæ pluviæ, ùt colligitur ex verbis illicò subnexis: *Quam Dominus Deus tuus semper invisit, & oculi illius in ea sunt â principio anni usque ad finem ejus: si ergò obedieritis ei, dabit pluviam &c.* 2. Quia *Ægyptus* meliore anni tempore, â solstitio nempe æstivo usque ad æquinoctium autumnale, eluvionibus *Nili* sepulta jacet: unde nullæ vindemiæ, vinum modicum aut nullum, fructus & arbores, aridiori solo assuetæ, omnino nullæ. Vide *Menochium* Cent. 9. c. 19. 3. Quia aquæ infinito labore & sumptibus, per artificiosas machinas, in altiores campos; & ex humiliori planitie per immensos aquæ ductus erant deducendæ.

rò quindecim; subinde viginti convivæ, nullo immunditiæ legalis impedimento prohibiti. Certè ante *Israëlitarum* adventum septem & quadraginta Reguli ultra sedecim centena bellatorum millia numerabant. *Davidis* tempore viri solummodò, armis tractandis pares, tredecim centena millia conficiebant.

Montes Palæstinam cingentes: Qui? Seir.

Mel. Quibus Montibus cingitur Terra Sancta?

Leuc. *Meridiem versus* prominebant montana *Seir*, *Sin*, seu *Cades*, quæ habitaverat *Esau*, ejúsque Posteri *Edomitæ*, seu *Idumæi*. *Versus ortum* prostabant montana *Galaad*, jugáque *Arabiæ* petrosæ.

Mons Galaad.

II. In monte *Galaad* erectus à *Labano*, & *Iacobo* visitur *Testimonii tumulus*; unde monti nomen est inditum, qui in sortitione Terræ sanctæ cessit dimidiæ Tribui *Manassis*: ex hoc sub *Gedeone* duo supra viginti imbellium millia ab exercitu recessêre. Cæterùm Mons iste resinæ ferax dicitur, â cujus nomine adjacens Regio *Galaaditidis* nomen traxit: Incolæ dicti *Galaaditæ*, quorum Dux factus est *Iephte*.

Libanus.

III. *Septentrionem* spectat Mons *Libanus*, seu montana *Libani*, quæ veluti *Palæstinæ* mœnia *Sidone Damascum* per centum & octoginta passuum millia in longitudinē excurrunt: altissima habent cacumina nivibus obsita; unde & ab albedine *nomen* sortita sunt. Mons iste fertlissimus est ob roris copiam, quod saccharum dicimus; herbis medicis, & aromatibus abundat; cedris, & cupressis à *Salomone* laudatus legitur. Habitatur plurima ferarum specie; ejúsque valles affluunt oleo, tri-

tritico, paſcuis, ut meritò ob has Naturæ divitias *Mons Montium* ſit appellatus.

IV. Septentrionem itidem ſpectant montana *Hermon*, quæ tamen ad ortum paululùm inclinant. Mons iſte, aliàs *Sanir*, ultra *Jordanem* in Tribu *Manaſſis* aſſurgit; altiſſimus eſt, & abjete pro ſtruendis navigiis celebris: leones alit, & pardos, quorum caverna una à *Mario Nigro* viſa eſt, quater mille hominum capax. *Hermon.*

V. Mons *Amana*, ultra *Iordanem*, in eadem Tribu *Monasſis* porrigitur, è cujus radice duo fluvii *Amana*, & *Pharpha* ſcaturiunt: eſt acceſſu difficilis, in culmine planitiem alit viridem, herbis & floribus ridentem. *Amana.*

Mel. Quænam valles memorabiles? *Valles memorabiles Quæ?*

Leuc. I. *Vallis cadaverum*, *Solymam* inter & *Calvariæ* montem, ubi, *Iuda* quodam monſtrante, Crux *Chriſti* inventa eſt à D. *Helena.* *Vallis cadaverum.*

II. *Vallis Cedron* profunda, in quam præceps actus eſt *Iacobus* Apoſtolus, & lapidibus obrutus: vocatur & vallis *Ioſaphat*, ſeu Domini *Iudicantis*, utpote in qua, (a) *Ioële* teſte, futurum eſt Orbis Judicium. Jacet ad orientem urbis *Ieruſalē*, quam ea parte cingit; ſecatur autem torrente *Cedron*, éſtque *Olivetum* inter & *Solymam* media, profunda, & ſatis lata: ſuper vallis portam olim videbatur turris, ab *Ozia* Rege erecta. *Vallis Cedron. Seu Joſaphat.*

III. Vallis *Sephata* in Tribu *Iuda*: ubi *Aſa* cum 580. millibus profligavit *Zoram*, Regem *Æthiopum*, decies centenis hominum millibus, & trecentis curribus inſtructum. *Sephata.*

IV. *Vallis Save*, ſeu convallis illuſtris in Tribu M*anaſſis* cis *Iordanem* dicta Regia, ob *Save.*

(a) *Joël.* 3. 2.

Regum

Regum paſcua, in quo *Abramo* victori occurrit Rex *Sodomorum*.

Mambre. V. *Convallis* Mambre, ubi peregrinatus *Abraham* tres Angelicos peregrinos vidit: fertiliſſima eſt, longáque excurrit circa urbem M*ambre*.

Jezrael. VI. *Vallis Iezraël*, ubi â *Gedeone* profligati ſunt *Madianitæ*.

Maria, Lacus memorabiles Qui? *Mel*. Quænam Maria, & lacus memorabiles?

Leut. Occaſum verſus Terram ſanctam alluit M*are magnum*, ſeu M*editerraneum*.

Mare magnum. *Mortuum.* II. Meridiem verſus *Mare mortuum*, ſic dictum, quòd ſulphureo gurgite demerſa *Pentapolis* illa, nil vivum ſive foveat, ſive retineat.

Galilæum. III. Septentrionem versus ſtagnat *Lacus Geneſareth*, qui in latitudine ſex; in longitudine ſedecim paſſuum millia numerat. (*a*) A fonte *Phiala* oritur; aqua tam limpida eſt, frigidáque, ut niſi ad ſolis radios calefacta libari nequeat: piſcium copiâ dives eſt, unde urbeculis, & piſcatorum habitaculis cingitur, è quibus *Betſamitæ* præcipuum lucrum reportant. Lacus hic ſecatur medius â *Iordane*, dicitúrque *mare Tiberiadis: mare* quidem, quòd quævis aquarum colluvies in S. Scriptura maris nomine appelletur: *Tiberiadis*, à civitate vicina: *Galilæum*, à *Galilæa* adjacente. Hoc Mare frequens *Christi* præſentia celebre reddidit: nam ex hoc vocati à *Christo* Apoſtoli; in hoc tumultuantibus ventis dormiebat *Ieſus*; ex hoc reductâ naviculâ, docuit affluentem turbam; ſuper hoc ipſum ambulans *Ieſus* eripuit fluctuantem *Petrum*; prope hoc bis panes multiplicavit Servator; ex hoc extractus eſt piſcis, ſtaterem habens in

(*a*) *Plinius*.

in ore, pro vectigali solvendo; hoc denique iteratis pedibus calcans Servator Discipulis post mortem se manifestârat.

Mel. Quinam Fluvii, & Torrentes præ reliquis memorabiles? *Fluvii & Torrentes memorabiles Qui?*

Leuc. Inter fluvios primas tenet *Iordanis*, cujus nomen, & origo in Tribu *Nephtali* scaturit è gemino fonte *Ior* & *Dan*, qui infra *Cæsaréam Philippi* confluunt, noménque *Iordanis* sortiuntur. Hic meridiem versus transit lacum *Genesareth*, quin illius se se undis permisceat, & ubi *Iudæam*, atque *Samariam* liquida fœcunditate decurrit, in mare mortuum se se tandem exonerat, sic tamen, ut pisces ab ostio renatent; vel devoluti in mare mortuum illicò emoriantur. *Iordanem* transiit *Abraham*; hic ipse fuit prodigiosè divisus per transitum *Iosuè* & *Eliæ*; super ejus aquas ferrum natitare fecit *Elisæus*; & *Naamano* lepram abstersit. In *Iordane* baptismate tinctus est *Christus*, Patrísque divino Oraculo DEI filius est declaratus: unde indita aquis salubritas creditur, ut se, vestésque suas sanitatis ergò in illis lavare soleant Accolæ, & Inquilini. *Jordanis.*

II. Tribum *Iuda*, & *Benjamin* torrens *Cedron* intermeat, alluitque vallem *Iosaphat*. Hunc transiit *Dâvid* fugiens à facie *Absolon*: In hoc ab *Asa* Rege Idolum *Priapi*; ab *Ezechia* sordes Templi, Deorúmque altaria sunt demersa. *Torrens Cedron.*

III. Rivus *Arnon*, aliàs *Aroër*: hic fines Tribûs *Gad* & *Ruben* lambendo præterfluit, & sicuti torrens *Cedron*, tandem in Mare mortuum se se præcipitat. *Arnon.*

IV. In Tribu *Gad* famosus est fluvius *Iaboc*, prope quem luctatus est *Iacob* cum Angelo; & *Timotheo* clades per *Judam* illata *Jaboc.*

creditur: hic se se exonerat in lacum *Genesareth*.

Cison. V. Per Tribum *Zabulon* rapitur torrens *Cison*, prope quem *Sisara* profligatus, & jubente *Elia* centum & quinquaginta *Baalis* Flamines sunt trucidati.

Sorec. VI. Denique memorabilis est *Sorec* fluvius in Tribu *Dan* & *Simeon*, qui in Mare magnum devolvitur: cujus vicina vallis à *Dalila*, vitisque fœcunditate famosa est: immò sunt, qui hujus fluvii undis tinctum Evnuchum Reginæ *Candacis*, Christóque initiatum velint.

Commoda Terræ Sanctæ Quæ? *Mel.* Quænam commoda Terræ Sanctæ?

Mercatura. *Leuc.* Inter præcipua Geographi numerant mercaturam, quæ ita floruit, præcipuè *Sidone*, ac *Tyri*, ut *Isaias* hanc nominârit *Urbium coronam*, in qua quot Mercatotes, tot Principes; illam verò *Forum Gentilitium* appellârit.

Naturæ prodigia Quæ? *Mel.* Quænam Naturæ prodigia memoratu digna?

Leuc. Varia: in mari mortuo præcipuè, quod à bitumine etiam lacum *Asphaltitem* nominant.

Mare mortuum. Ejus fœtor. I. *Aquæ fœtor* est tantus, ut manui tinctæ mephytis adhæreat, viginti quatuor horarum spatio non abluenda; & aviculæ fortuitò prætervolantes graveolenti vaporum peste illicò emoriantur: aër milliario gemino sic est infectus, ut Regio circùm deserta nec folium ullum, nec herbam ullibi virentem progerminet.

Aquæ gravitas. II. *Aquæ gravitas* tanta est, ut etiam ventorum furenti turbine vix moveatur.

Acrimonia. III. *Aquæ vis salsa* tam acris, ut guttula labiis aspersa, corrosiva peste, tartarei instar ignis, carnem adurat: unde nomen *Maris salsissimi* traxit.

Color. IV. *Aquæ color est triplex*: manè atro, sub meri-

meridiem cæruleo, ſub veſperum rubro, ſeu flavo induitur.

V. Augetur nunquam, etſi *Iordanis*, aliique fluvii ſe immergant, qui haud dubiè per ſubterraneos meatus denuò dilabuntur. *Æqualitas.*

VI. Tantam alit peſtilentiam, ut nihil in illo vivi ſit reperire; ſed piſces, atque aviculæ, guſtatâ obiter aquâ, illicò moriantur morte: unde *Mare mortuum* dicitur. *Peſtilentia.*

VII. Nihil quod vivit, etſi grave, demergi poteſt; nihil quod vitâ caret, etſi leve natare valet: hinc plumula injecta molaris inſtar ad ima rapitur; contrà injecti à *Veſpaſiano* malefactores vincti, anatum inſtar, ſupernatabant. (*a*) *Proprietates.*

VIII. In vicinia videntur poma, aſpectu pulcherrima, intùs plena fœtenti cinere, bellum ſymbolum infelicis Pentapolis. *Poma.*

IX. Viſuntur in lacu etiamnum *Sodomæ* rudera, è quibus cùm lapides extracti, & ignibus fuiſſent impoſiti, carbonum inſtar gliſcebant, fœtorem intolerabilem exhalantes. *Sodomæ rudera.*

Mel. Quinam Incolarum mores? *Mores Incolarum*

Leuc. *Chanaitas* ex *Chamo*, hoc eſt, mali corvi ova peſſima, colligas: nam moribus fuêre ſummè perverſis, in omne flagitium projectis, & Idololatriæ deditiſſimis. Filios *Iſraël* quod ſpectat, & ipſos non multùm legimus meliores. Nam conſtat, eos fuiſſe conſtanter perfidos, DEO rebelles, & ad Idolomaniam proniſſimos: verbo tales, quales ex ore D. Spiritûs fuiſſe dixit Levita *Stephanus*: (*b*) *vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis, ſicut & Patres veſtri, dura cervice, & incircumciſis cordibus, & auribus.* *Quales? Corrupti.*

(*a*) *Hapelius p. 1. Coſmogr.* (*b*) *Act. 7.*

Regiminis forma Quæ? Varia.

Mel. Quæ Regiminis forma?

Leuc. Sub *Chanaitis* partim viguit *Dominatus*; partim *Monarchia*; partim *Tyrannis*, prout Regum illorum ferebat conditio.

II. Sub Patriarchis Regimen erat penes Familiam principem.

III. *Palæstinâ* â Filiis *Iſraël* ſubactâ, imperium devolutum erat ad Judices : dein electi ſunt Reges, & ſecuta ſub *Roboamo* eſt Regni diviſio.

IV. Poſt captivitatem *Babylonicam* Populum in ſex Provincias diviſum regebant Principes, Majores, & ſummi Sacerdotes; usque dum Terra ſancta, *Romanis* tributaria, accepit in *Judæa Prætores*; in *Galilæa*, *Ituræa*, *Trachonitide &c.* Tetrarchas.

V. Denique à *Veſpaſiano Ieroſolymâ* devaſtatâ, vaſtata quoque eſt *Iudæorum* Reſpublica: iique per universum Orbem diſperſi, ſine Rege, ſine lege, ſine Religione, ſine Regimine, omnibus ſubjecti, ubique exules, toti Mundo exoſi.

§. IV.

Topographica Deſcriptio Terræ Sanctæ in Specie, & quidem de Tribu Juda, Benjamin, Dan, & Simeon.

Diviſio Terræ ſanctæ Quæ? Quadruplex.

Melander. Quæ diviſio Terræ ſanctæ?

Leucotheus. Varia, pro viciſſitudine temporum, quæ fuit quadruplex: *prima* continet tempus, quo dominati *Chanaitæ*. *Secunda*, quo rerum potiti Filii *Iſraël* ſub regimine Judicum & Regum. *Tertia*, quo vixêre

vixêre *Iudæi* post captivitatem *Babylonicam*. *Quarta* quo illam occupârunt Turcæ post desolationem *Ierosolymitanam*.

II. Septem, mala germina, Gentes.

Mel. Quinam *Chanaitæ*, & quomodo inter illos divisa primis temporibus est *Palæstina?* *

Prima sub Chanaitis Qualis? In septem Nationes.

Leuc. Chanaitæ, *Chami* progenies, à quo etiam nomen infame sortiti sunt, in septem Nationes se se diviserant juxta numerum, & nomina filiorum *Chanaan*. 1. *Hethæi*, qui habitaverant versus meridiem, ubi postmodùm Tribus *Iuda* subsederat, quibus juncti erant Gigantes de stirpe *Enacim*. 2. *Amorrhæi*, cis *Iordanem* siti, Orientem versus, ubi postmodùm Tribus *Ruben* & *Gad*. 3. *Gergesæi* trans *Iordanem* circa lacum *Genesareth*. 4. *Chananæi* siti versus occasum inter Mare magnum & *Iordanem*. 5. *Pherezæi*, qui pariter occasum versus habitaverant, ubi posteà dimidia Tribus *Manasse* suam possedit hæreditatem. 6. *Hevæi*, qui versus orientem circa montem *Libani*, & *Hermon*. 7. *Iebusæi*, qui, circa montana *Iudæ*, *Solymæ* viciniam occupârunt: hæc priùs dicebatur *Iebus*. *

III. Multis divisas Regnis. *In quinque Satrapias: Regna plurima.*

Mel. Hæcne tota illius temporis divisio?

Leuc. Minimè gentium: vidisses insuper quinque Principatus, seu Satrapias *Philistinorum*: *Gazam*, *Ascalon*, *Azotum*, *Accaron*, *Geth*: Immò & Regna plurima, inter quæ prima Pentapolis famosa, sic dicta à quinque Urbibus, *Sodoma*, *Gomorra*, *Adama*, *Seboin*, *Segor*, Regio *Palæstinam* inter & *Arabiam* sita: Urbes multo crimine infames, à Rege

* Vide Tabellam Geographicam.

** His alii adjungunt: *Ammonitas*, *Moabitas*, *Edomitas*, *Kerestaos*, *Kenitios*, Populum *Hemath*.

Senaar, *Chodorlahomor* debellatæ, à Cœlo exustæ, *Lotho* habitante in *Sodomis*. Celebris item est terra Regis *Salem*, Regis *Geraræ*, *Chanaan*, *Basan &c.* & aliorum, quos Regulas *Iosue* (a) numero triginta & unum, DEO Duce, ferro vindice debellavit.

Sed tamen exigua. II. Horum Regna, pro terræ, non admodùm spatiosæ, circuitu, nostris utique dissimillima judices oportet, cùm sæpè aliquot Urbium, immò etiam unius dominio fuerint coarctata, ut meritò Regulos hosce, Consulibus nostris æquales, nec tam à Dominii latitudine, quàm à potestate, minimè precaria & dependente, Reges à sacro Codice nominatos colligamus.

Chanaitæ hac terra ejecti *Mel.* Quænam Urbes præcipuæ, & qua ratione his terris depulsi sunt *Chanaitæ*?

Quomodo? Cælo militante. *Leuc.* Metropoles, earúmque descriptiones infrà recurrent. Cœterùm Terra his Gentibus est possessa, usque dum DEO Duce è servitute *Ægyptiaca* liberati Filii *Israël*, non tam virtute propriâ, quàm militante Cœlo, hanc Terram, Majoribus suis promissam, sibi denique vendicârunt. Causam si quæras, sufficiet scelestus *Cham*, Populi hujus Protoparens, qui à *Noëmo* cum suis Posteris, maledictionis stigmate est notatus. (b) 2. Idololatriæ crimen pessimum, quo derelicto Numine, ipsi pariter sunt derelicti, peccatis, ùt solet, Regna de Gente in Gentem transferentibus.

Cur? Ob maledictam Chami Idololatriam.

Divisio secunda Qualis? In duodecim Tribus Israël. *Mel.* Quomodo Terra sancta secundò est divisa inter filios *Israël*?

Leuc. Juxta duodecim Tribus, Duce *Iosue*, per sortes cuivis portionem, à Cœlo destinatam,

(a) 12. v. 9. & seq. (b) Gen. 9. 22.

tam, attribuente. Has Tribus dividebat *Iordanis*, sic ut *Rubenitæ*, *Gaditæ*, cum dimidia Tribu *Manassis* trans *Iordanem*, ob pinguia non minùs quàm copiosa pascua, annuente *Moyse*, permanserint; novem reliquæ, cum dimidia altera *Manassis*, cis fluvium habitârint. Tribus *Levi*, quæ fuit decima tertia, postquàm *Iosephi* hæredes *Ephraim* & *Manasse*, adoptante illos *Jacobo*, distinctas Tribus effecerant, hæreditatis locò DEUM (Superi quantum Bonum!) obtinuit, ut Altari destinata, viveret de Altari, unde in Tribubus Urbes selectæ hisce Levitis â *Josue* sunt assignatæ.

IV. Mox altera censet bis senas divisa Tribus.

Mel. Quid de hæreditate *Iudæ* memorabile? *

Leuc. I. *Situs*: *ab Ortu* respicit Mare mortuum: *à Meridie* montana *Seir*, & *Edom*: ab *Occasu* Tribus *Simeon* & *Dan*: â *Septentrione* Tribum *Benjamin*.

Tribus Judæ Situs Quis?

V. Ubi digna notatu Bethlem.

II. *Urbes*: *Bethlehem Iudæ*, ut discernas â *Bethlehem Zabulon*; aliàs dicta etiam *Ephrata*, oppidum sesqui horâ *Ierosolymis* dissitum, situ amœnū æquè, ac salutiferū. Hic natus, unctúsq; in Regem est *David*: immò hic lucem primam aspexit ipsa Lux Mundi *Christus* DEI Filius.

Unbes. Bethlehem.

H 4 Supra

* Sciendum in Topographica Terræ sanctæ descriptione plurima esse incerta, & controversa, cùm quasdam Urbes modò huic, modò alteri Tribui, seu propter terminorum confinia, seu propter variatas sæpè ab ipsis *Judæis* divisiones, Authores attribuant. Nos secuti *Adrichomium* in *Theatro Terræ sanctæ*; *Petrum Franciscum in Poligraphia sacra edita Augustæ Vindel. an.* 1725. aliósque Authores, nihil ex nobis fingimus, ut adeò erroris nemo nos arguat, si Urbes in alia Tribu subinde legetit, quàm ex certorum Authorum calculo eisdem nos assignemus.

Supra caulam, in qua natus Servator, postmodùm est ædificata Ecclesia, ubi fatis concessit *D. Hieronymus*. Celebris est cisterna *Bethlehem*, è qua aquam *Davidi* attulêre tres Viri fortes.

Emmaus. II. *Emmaus* * castellum & oppidum, milliari germanico dissitum ab Urbe; ubi *Cleophas* natus, *Christíque* resurgentis apparitione est honoratus. Obsidione cinctum est ab *Antiocho Epiphane*, liberatúmque à *Juda Machabæo*. Exustum à *Varo*, denuò restauratum est à *M. Aurelio Antonio*, dictáque *Nicopolis*. Milliari ab *Emmaus* vallis *Terebinthi* visitur, ubi stratus est *Goliath*.

Segor. III. *Segor*, aliàs *Bala*, Urbs flammæ vindici erepta ad preces *Lothi*, incendia *Sodomæ* fugientis: non procul ab Urbe videre est statuam salis, in quam mutata, metamorphosi mirabili, est *Lothi* uxor.

Civitas salis. IV. *Civitas Salis*, pomis *Sodomiticis* famosa, cui adjacet vallis Salinarum.

Hebron urbs Refugii. V. *Hebron*, Urbs Refugii, ** in montanis *Judæ* sita, emporium celeberrimum, sex milliaribus distans *Jerosolymis*, ante *Tanim Ægypti*

* Alii hanc arcem ponunt in Tribu Benjamin.

** *Quæres*: Quid, & quot sint urbes Leviticæ, & Refugii? ℞. Ex *Num.* 35. & *Josue* 20. colligimus 48. urbes Leviticas, seu *Levitis* attributas, hinc inde in Tribubus dispersas, adjunctis pascuis passuum mille per circuitum. 2. Ex His 48. Urbibus Leviticis sex dictæ sunt *Urbes Refugii*, nempe *Bosor* in deserto: *Ramoth* in *Galaad*: *Gaulon* in *Basan*: *Sichem* in monte Ephraim: *Cedes* in monte *Nephtali*: *Hebron* in Juda. Dictæ sunt *Urbes Refugii*, quia fuêre *asyla*, sed non nisi in casu homicidii involuntarii: in quibus etiam innocenti agnito & declarato, hærendum erat usque ad mor-

sti Urbs ista condita â Gigante, & â suo nomine *Arbe* dicta est. Hîc *Adamum* S. Scripturæ Interpretes, sat multi, creatum volunt: alio nomine dicta est *Mambre*, in cujus valle peregrinatus est *Abraham*, *Isaac*, & *Jacob*. Hæc Urbs habitata legitur â Gigantibus *Enacim*, quos *Calebus* denique exstirpârat: *Obamo*, *Hebronis* Rege, per *Josuem* debellato, capta Civitas, datáque Levitis est. Huc transiît *David* è *Siceleg*, & Rex est proclamatus â *Iuda*: unde Civitatem hanc Sedis Regiæ titulo, & libertatis prærogativâ nobilitârat. Ibidem *Asaël* quoque, & *Abner* sepulti: ibidem *Absolon* Regem se dixit. Hanc urbem, *Zachariæ* Patriam sedem, ad quam Deipara festinârit invisura *Elisabetham*, Authores volunt. In ejus confiniis famosa quondam piscina fuit, stetítque illa crassissima terebinthus, sub qua, Mundo coævâ, *Abrahamo* visi tres Angeli. Ibidem celebris est spelunca duplex, quam emit *Abraham* â Filiis *Heth*, in qua tumulum habuisse fertur *Adam*, *Eva*, *Sara*, *Abrahamus*, *Isaacus*, *Iacobus*, cæterique Patriarchæ; unde Urbi â quatuor viris *Adamo*, *Abrahamo*, *Isaaco*, & *Iacobo* *Cariath-Arbe* nomen celebre adhæsit.

VI. *Dabir*, aliàs *Cariath-Sepher*, *Eglon*, *Ierimoth*, *Lachis*, *Lebna*, *Maceda* urbes Regiæ, **Dabir, Lachis.**

H 5 qua-

mortem summi Pontificis: pro hujus rei ratione *Serarius* affert *sup. c.20. Josue* mysterium, quo nobis indicaretur, non nisi per mortem *Christi* completè nos redimendos, & asserendos in libertatem Filiorum Dei. Præter urbes Refugii asylon quoque fuit Tabernaculum, & Altare Holocaustorum, sed non nisi in casu homicidii involuntarii. Hinc juxta Legem Exodi 21. 14, *Joab*, etsi profugus ad hoc Altare, *Salamonis* jussu est jugulatus.

quarum Regulos, contra *Gabaon* pugnantes, fudit *Iosue*, Sole ad illustrandam victoriam stante. *Dabir*, Athenæum Palæstinæ, secundò subactum est ab *Othoniele*, cùm *Calebus* Axam filiam in victoriæ, virtutisque præmium proposuisset. *Lachis* occupata legitur â *Sennacheribo*, in quam etiam profugus Rex *Amasias* occisus est: prope *Maceda* extracti sunt è spelunca quinque Reguli â *Iosue*, concisíque in frusta scelerum dedêre pœnas.

Thecua. VII. *Thecua* Urbs sapientiâ illius fœminæ celebris, quâ ad placandum *Absoloni* Filio *Davidem* (a) usus est *Joab*, militiæ Princeps: in hujus deserto ab insidiis *Bacchidis* servati sunt *Macchabæi Simon* & *Jonathas*.

Maspha. VIII. *Maspha* Urbs in confiniis Tribûs *Iudæ* & *Benjamin*, in qua diu Arca Domini est morata; ubi & congregati sunt filii *Israël*, ultionem sumpturi de *Gabaa*, & Tribu *Benjamin*. Hic *Samuel* Judex suum erexit Tribunal, electáque in sedem Prætoriam est â *Godolia* & *Jeremia* post *Solymam* excisam.

Cariathiarim. IX. *Cariathiarim* urbs Tribui *Iudæ* conjuncta, sitáque in finibus *Dan* & *Benjamin*: in hac celebris est collis *Gabaa*, ubi domus *Aminadabi*, & habitaculum Arcæ Fœderis.

Montana Judæ. X. *Montana Iudæ*, ubi celebris est Mons *Hebron*, in quem *Samson* portas *Gazæ* transtulerat. In Montis *Segor* spelunca famosus est *Lothi* latentis incæstus. In his montanis speléum visitur, ubi D. *Joannem Baptistam* â septimo ætatis anno & latuisse, & in Angelorum consortio vitam cœlestem egisse ferunt. Juga *Engaddi*, sic dicta ab Urbe, quæ aliàs *Thamar*, & memorabilis est ob vineas & balsami hortos, in quibus jugis speluncam videre est, ubi

Speluncæ celebres, & deserta.

(a) 2. Reg. 14. v. 2.

ubi abſciſſa *Sauli* eſt ora clamydis à *Davide*: in *Engaddi* deſertis profugus erravit *David*, uti & in deſerto *Maon*, quod *Nabal* inhabitârat, ſtulta ſorditie famoſus: utrumque deſertum mortuo Mari finitimum adjacet.

Mel. Quid de Tribu *Benjamin?*

Tribus Benjamin fines Qui?

Leuc. I. *Fines. Ortum verſus* à *Jordane*; *versus Meridiem* à Tribu *Judæ*; *versus Occaſum* à Tribubus *Dan* & *Juda*; *versus Septentrionem* à Tribu *Ephraim* cingitur.

Jeruſalem. Salem Nomen Origo. Forma &c.

II. Urbes. *Ieruſalem* Metropolis Regni, à myſteriis dicta *Civitas Sancta*; olim *Salem* * quia ædificata à *Melchiſedecho* Rege *Salem*; (*a*) Urbs ſitûs, ſolique amœnitate, ac myſteriorum frequentiâ celebris, quatuor montes complexa, *Sionem*, *Moria*, *Acram*, & *Beſeto*; tribus muris circumdata, primo ambiente Montem *Sion*, civitatem *David*; ſecundo Montem *Moria* minorem, ſeu *Filiam Sion*, ubi Templum, & Regia *Salomonis* ſteterat; tertio urbem novam & veterẽ. Arx dicta eſt *Iebus*, quia à *Iebuſæis* poſſeſſa; unde ex *Iebus* & *Salem*, *Jebuſalem* ſeu *Jeruſalem* nominis etymon derivatum Authores volunt. Tam erat frequens hæc Civitas, ut tempore *Salomonis* ſolummodò Sacerdotales familiæ trigeſies ſexies mille capita numerarent; totus verò civium numerus, teſte *Menochio*, (*b*) ultra centum & quinquaginta millia excurreret. Tam erat opulenta, ut *abundantia argenti in Ieruſalem* fuerit, *quanta lapidum*. (*c*) In medio, ſeu umbilico Terræ, ſaltem tunc temporis cogni-

VI. Cum Solyma.

* Hæc, vel alia à nonnullis ponitur in agro *Sichimorum* in Tribu *Manaſſis* cis *Jordanem* *V. Polygr. Sacram V. Salem.*

(*a*) *Circa annum 2000.* (*b*) *Cent. 7. c. 64.* (*c*) *3. Reg. 10. v. 27.*

cognitæ, ſitam fuiſſe ex Regio Pſalte (*a*) nonnulli colligunt. Authore *Hecateo* erat *Civitas munitiſſima*, cujus circuitus quadraginta; juxta alios quinquaginta ſtadia complectebatur. (*b*)

Fata Urbis. II. Fatis variis Urbs iſta ſubjecta legitur, Rege *Adoniſedeco* per *Joſue* victo, & ipſa victa ſuccubuit. Tum per *Calebum* denuò eſt ſubjugata, exactis ex arce *Sion Iebuſæis*. Subin â *Davide* electa Metropolis; â *Salomone* ornata eſt Templo; ſub *Roboamo* per *Seſaçum*, *Ægypti* Regem, ſpoliata, & demum ſub *Achazo* ſic deſolata eſt, ut etiam clauſum ſit Templum, Idololatriâ in omni Urbis angulo dominante. Surrexit denuò ſub *Ezechia*, & â furore *Sennacheribi* per Angelum eſt liberata: ſed iterum ſub *Sedecia* per *Nabuzardanem* capta, expilata, incenſa, ſicque eſt devaſtata, ut *Sion* araretur, Urbs eſſet acervus lapidum, & Templum ad inſtar deſolati ſaltûs horreſceret. Sed iterum reſtaurata â *Nehemia* ſub *Cyro*, iterum direpta, & diruta eſt ſub illuſtri *Antiocho*: tum rurſus ſub *Machabæis* reſpiravit, ſub *Ionatha* refloruit; ſed & rurſus per *Antiochum* Nobilem ſpoliata, per *Pompejum* denuò capta, per *Craſſum* denuò eſt expilata, usquedum per *Herodem Aſcalonitam* devicta, collegit ſe paululùm, priſtinúmque florem viſa eſt induiſſe. Sed poſtquàm ſub *Chriſto* multis miraculis illuſtrata in ſuis malis obduruit, per fata *Chriſti* & ipſa ad interitum ſuum diſpoſita, per *Titum* incenſa, & penitùs deſtructa, ſolóque æquata eſt. Immò per *Adrianum* in aliam Urbem formata, incluſo monte *Calvariæ*, profanata Idolis, dictáque eſt *Ælia*, etiam acceſſu, aſpectúque *Judæis*

(*a*) *pſ.* 73. 12. (*b*) *Menochius*, *l. c.*

dæis prohibito, erecto in porta porco in signum ultimæ abominationis.

Mel. Quænam aliæ Urbes in hac Tribu memorabiles?

Leuc. Iericho, rosis, balsamo, & palmis celebris; unde Urbs palmarum dicta est. Initiò Civitas Regia inter tubarum clangores à *Josue* diruta, & anathematis fulmine est percussa: unde non nisi filiorum *Hielis* cæde restaurari poterat. Hic occisus est *Eglon* ab *Ahodò*, è *Galgâlis* reduce: hìc semirasi *Davidis* nuntii substitêre, dum succrescente barba deposuissent opprobrium: hìc habitârunt Prophetæ cum *Elisæo*, qui sale amaras fontium aquas correxit. In hujus valle captus est *Sedecias*, & post captivitatem in Urbem hanc quadraginta cives ultra trecentos reduxit *Zorobabel*. Hìc *Bacchides* se se communiît contra *Iudæos*, & prope hanc Urbem petitio facta est à filiis *Zebedæi*, primatum in regno *Christi* sollicitantibus. Hìc sanatus est Cœcus, vocatus *Zachæus* de arbore, & parabola descendentis de *Iericho* est promulgata. **Iericho.**

II. *Galgala* decem à *Ierichunte* stadiis dissita. Hoc in loco erecti à *Iosue* sunt duodecim lapides; assumpta rursus est Circumcisio; sublatum Manna: ibidem stativa Castrorum hærebant, usquedum *Palæstinæ* facta fuit divisio. Ibi *Saül* in Regem creatus, & oblato contra Numinis nutum holocausto est reprobatus. Ibi *Saulis* Regia, & *Elisæi* fuit statio frequens. Denique ex hac Urbe *David*, *Ierosolymis* pulsus ab *Absolone*, à Populo rursus in Regiam *Sionis* sedem reductus est. **Galgala.**

III. *Gabaa* Urbs Levitica, *Saulis* patria, & sedes diuturna, famosa *Sodomitico* civium furore: hinc excisa est cum Tribu *Benjamin* **Gabaa.**

pene

penè tota. Ex hoc asylo excursio crebra in *Philistæos* facta est à *Saule* & *Ionatha*: prope hanc occisi sunt à *Doëgo* sacrilego Sacerdotes; *Saulis* Filii à *Gabaonitis*. Denique in hac Urbe munimenta erexit Rex *Asa*; *Iosias* Excelsa sustulit.

Gabaon.

IV. *Gabaon*, *Hevæorum* Metropolis, per dolum indemnis à *Iosue* est relicta: unde cives damnati ad servitium Templi, dictique sunt *Nathinéi*. Sed cùm Urbem hanc fœderati infestare Reguli tentarent, liberata à *Iosue*, & tradita est Levitis. Propter injurias, à *Saule* illi illatas, contra jurata *Iosue* fœdera, triennali fame punita *Iudæa* est: hinc à *Davide* septem *Saulis* Filii, veluti vindictæ victimæ, totiúsque Patriæ obsides illi traditi, patibulísque sunt affixi in *Gabaa*. Ad hujus Urbis fontem exorta pugna est *Iohanani* cum *Ismaële*: (a) ad ejus lapidem occisus à *Ioabo* est *Amasa*: ad ejus piscinam gladiatorii ludi infeliciter instituti sunt à *Ioabo* & *Abnere*. In hujus Excelsis (nam *Mosaicum* hîc remanserat Tabernaculum) immolavit *Salomon*, & Sapientiam acquisivisse asseritur à *Saliano*.

Anathot.

V. *Anathot* Civitas Levitica, *Iehu* & *Ieremiæ* patria, in quam relegatus est *Abiathar* Sacerdos sumus à *Salomone*: *vade in* Anathot *agrum tuum &c.* (b) Huc redière cum *Zorobabele* centum viginti & octo cives exules: hìc emit agrum *Ieremias*, & ob auguria, *Ierosolymæ* Incolis ingrata æquè ac infaustã, ad necem est quæsitus à suis.

Bethel.

VI. *Bethel* olim Civitas Regia, ubi *Abraham* ex *Ægypto* reversus sub tentoriis habitâsse cum *Lotho*, & erexisse Altare legitur. Aliam Aram hîc postmodùm erexit *Iacob*, rever-

(a) *Jer.* 41. (b) 3. *Reg.* 2, *v.* 26.

versus à cæde *Sichem*. Hìc Scala mystica *Iacobo* visa est, unde locus dictus est *Bethel*, id est *Domus DEI*, qui priùs vocatus est *Luza*. Hìc sepulta sub quercu *Debora* est, *Rebeccæ* nutrix; hìc *Iacobo* nomen mutatum in *Israël*. In *Bethel* Judicem egerat *Samuel*; & *Elisæum* convitiantes pueri nequam lacerati ab ursis sunt: hìc orta hæresis *Samaritanorum*, Idololatras instruente *Hebræo*, ne à leonibus lacerarentur. A *Jeroboamo* erectus hìc vitulus aureus, à *Iosia* destructus: hinc loco adhæsit nomen *Bethaven*, seu *Domus scelerum*.

VII. *Silo* * Ab Arca Domini celebris, quæ huc est translata sub *Iosue*. In *Silo* Concilium coëgêre Majores *Israël*, cùm non sine schismatis suspicione à *Rubenitis* erectum Altare in ripa *Iordanis* intelligerent: item cùm contra *Benjamitas* infeliciter pugnâssent. Ex *Silo* raptæ ducentæ virgines à *Benjamitis*: ibidem famosi Filii *Heli*; vocatus *Samuel*; *Heli* est mortuus: ab *Ismaële* occisi sunt venientes de *Silo* ad sacrificia in *Ierusalem*. Mons prope *Silo* celebris est à sepulchris Prophetarum. **Silo.**

VIII. *Bethphage* vicus Tribûs *Benjamin*, ad radicem *Oliveti* montis. Hìc asinam conscendit *Christus* ad solemnem ingressum in *Ierusalem*: hìc Sacerdotes ad sua dispositi munia, & agni pro sacrificiis sunt nutriti. **Bethphage.**

IX. *Bethania*: Vicus, in vico villa *Mariæ* & *Marthæ*, *Christi* frequens hospitium. Hìc suscitatus à morte est *Lazarus*, & in *Simonis* leprosi ædibus à *Magdalena* abluti lacrymis sunt *Christi* pedes. Alia est *Bethania* trans *Iordanem* in Tribu *Manassis*, *Ioannis* baptismate memorabilis. **Bethania.**

X. *Nobe*: Urbs Tribûs *Benjamin*, aliis *Ephra-* **Nobe.**

* Ab aliis ponitur in Tribu *Ephraim*.

Ephraim, ubi Arca tempore *Saulis* morata est: Civitas Sacerdotalis, eversa à *Saule* propter *Abimelechum &c.*

Baburim. XI. *Baburim* in Tribu *Benjamin:* ad usque hanc comitatus est *Phaltiel* uxorem *Michol.* Ex hac egressus est *Semei*, maledictis lacessens *Davidem* exulem; hic *Achimaas* & *Ionathas*, in puteo servati sunt ab insidiis *Absolonis.*

Montes memorabiles. *Oliveti.* XII. Montes memorabiles. Primò *Oliveti*; qui *Solymæis* erat ad Orientem, in quo *Christus* non semel docuit, sanguinem sudavit, & in Cœlos ascendit. *Calvariæ.* Mons *Calvariæ*, qui Urbi jacet ad Occidentem, ubi *Christus* cruci affixus; imò ubi nonnulli Sacrificium *Isaaci* tentatum volunt, quamvis in monte *Moria* id factum alii veriùs asseverent. *Moria.* Mons *Moriá* plura in juga divisus, quorum illud, quod respicit Orientem, *Sion*; quod Occidentem, *Golgotha*; quod Septentrionem *Acra* nominabatur: dictus *Moriá* seu *Terra visionis*, quia longè, latéque ex ea oculi excurrere poterant.

Tribus Dan. *Mel.* Quid memorabile in Tribu *Dan?*

Situs Quis? *Leuc.* I. *Situs* : *Ad Orientem* finitima erat Tribus *Benjamin* & *Iuda* : *ad Meridiem* Tribus *Simeon* : ad *Occidentem terra Philistiim*: *Ad Septentrionem* Tribus *Ephraim.*

Urbes Quæ? *Azotum.* II. *Urbes* : Azotum, Urbs *Syriæ*, habitata à Gigantibus *Enacim*, capta à *Iosue*, datáque Tribui *Iudæ* : sed ab hac transiit (a) in Tribum *Dan*, cui erepta est à *Philistæis*, factáque Princeps inter Satrapias, famosa *Dagonis* fano, quod Idolum Arcæ præsentiâ corruit; *Azotiis* infami plagâ percussis. Ab *Ozia* denuò est subacta, murique diruti, Idola à *Judâ* destructa : ad ejus montem à *Bacchide* bello prostratus est *Judas* : post prælium *Jonathæ* cum *Apollonio* succensa est à *Judæis* infelix Civitas;

(a) *Polygr. Sacra.*

vitas, in qua denuò restaurata inventum legimus *Philippum*, postquàm Baptismatis undâ tinxisset Evnuchum Reginæ *Candacis*.

III. *Accaron* Satrapia *Philistinorum*, quæ initiò Tribui *Judæ* annumerata, postmodùm cessit Tribui *Dan*. Hæc renuit Arcam recipere, quam sub *Samuele* ab *Israëlitis* denuò recuperatam legimus: ad hujus Idolum *Belzebub* nuntios misit *Ochozias*. Tandem ab *Alexandro* Rege *Syriæ* donata est *Jonathæ* Pontifici, ut *Judæorum* gratiam iniret. *Accaron.*

IV. *Aialon* Urbs Refugii, priùs habitata ab *Amorrhæo*, in cujus celebri valle Sol stetit ad imperia *Josue*: ubi & *Jonathas* insignem victoriam reportavit â *Philistæis*. *Aialon.*

V. *Betsames*, quam alii Tribui *Judæ* accensent, Urbs Refugii, ad quam â vaccis mugientibus deducta Arca stetit in area *Josue*, & curiosos *Betsamitas* afflixit morte. Civitas hæc capta est sub *Achazo*: in hac â Rege *Joa* fusus, captúsque est *Amasias* Rex Juda. *Betsames.*

VI. *Geth* Urbs ex quinque primariis *Philistiim*, *Goliathi* Patria, â Gigantibus habitata, percussáque ab Arca vindice, dato consilio â *Gethis*, ut per Satrapias *Philistiim* circumduceretur. In hac regnavit *Achis*, ad quem se se receperat *David*, â *Saüle* profugus: cùm â *Davide* esset subacta, sexcentos eidem, *Absalonis* insidias fugienti, præsidiarios obtulit. Inter quatuor bella, quibus *David* subegerat *Philistæos*, ultimum ad mœnia *Geth* gestum legimus, ubi cecidit Gigas, cui sex digiti erant in manibus pedibúsque: ab *Ozia* Civitatis muri destructi sunt. *Geth.*

VII. *Joppe* Urbs maritima in promontorio sita, quam â *Japheto*, ante Diluvium conditam, ejúsque portum fabricatâ Arcâ celebrem *VI. Cum Joppe.*

asserunt: huc cedrus de *Libano* advecta est pro *Solymæ* Templo: in hujus portu navem *Tharsensem* conscendit Jonas, fugiens â facie Domini. Capta est Civitas à *Machabæis*, ibique *Ptolomæus Ægypti* humanitate magna legitur exceptus à Jonatha. *Joppitas* perfidos (nam in scaphis ducentos *Judæos* demerserant) ultus est *Simon Machabæus*. Hic *Dorcas* mulier ad vitam revocata est â D. *Petro*, cui facta in domo *Simonis* est visio de *Cornelio* Centurione. Hæc sæpè capta, à *Ludovico Galliæ* Rege restaurata in bello sancto, nunc servitutem servit *Mahumetanam*.

Saraa. Thamnata. VIII. *Saraa Samsonis* Patria. *Thamnata*, Urbs, ubi adamata est à *Samsone* infelix mulier; in cujus vineis laceratus Leo; ubi propositum ænigma; ubi vastatæ segetes, & gener *Thamnatæus* cum tota domo à civibus est exbustus.

Jamnia. IX. *Jamnia*, seu *Jaonia* Urbs maritima Tribûs *Dan*, cujus mænia diruit *Azarias*; ad hanc contritæ sunt Gentes per *Judam Machabæum*, (a) & *Judæi* percussi à *Gorgia*: hæc succensa est à *Juda* propter Cives *Iudæis* necem proditoriè machinantes.

Mel. Quid de Tribu *Simeon*?

Tribûs Simeon situs Quis? *Leuc.* I. Fines: versus Ortum, & Meridiem respexit Tribum *Juda*: Occasum versus *Philistæos*: versus Septentrionem Tribum *Dan*.

Urbes Quæ? Bersabée. II. *Urbes*: *Bersabée*, locus putei ab *Abrahamo* effossi, in fœdus *Abimelechi*; unde solitudo dicta quoque hoc nomine, in qua vagatam Agar ancillam legimus. Subin ab *Isaaco* exstructa Civitas, in qua Judices, à Patre degeneres, egêre *Joël* & *Abia*, Filii *Samuelis*. Huc fugere compulsus est *Elias* à furore *Jezabel*: hanc

(a) 1. *Mach.* 4. 15.

hanc Urbem ab Idolis purgatam restauravit *Josias*, quam terminum Terræ Sanctæ Geographi adstruunt.

III. *Ascalon*, Urbs maritima, *Idumææ* emporium, Patria Magni *Herodis*, una ex Satrapiis *Philistiim*, ubi triginta viros percussit *Samson*: hanc ipsam Urbem ob Arcæ retentionem infami plagâ percussam legimus. *Ascalon.*

IV. *Gaza*: Metropolis, & una ex Satrapiis *Philistiim*: Hic adamata à *Samsone* est meretrix, portæque evulsæ, ac portatæ Giganteo robore sunt in montem *Hebron*: hic captus, excæcatus, & in ludibrium ductus est, usque dum in fano *Dagon* se unà cum hostibus sepeliit victor. Hæc Civitas flagellata est ab Arca exule; â *Jeremiæ* minis non semel territa; ab *Alexandro* Magno vastata: restauratam denuò subegêre *Jonathas* & *Simon*, *Machabæi*. *VII. Gaza.*

V. *Siceleg*, à Tribu *Juda* subacta cessit tandem Tribui *Simeon*, cui â *Philistæis* erepta, donatáque *Davidi* à Rege *Achis*, ex qua, dum prædas ageret, subitò ab *Amalecitis* direpta est, ac devastata. *David* ubi ultus est hostem, hìc inaudiît mortem *Saulis*, & à *Judæis* est invitatus ad Solium. *Siceleg.*

VI. *Gerara*, Urbs à qua nomen vicina Regio. Hìc peregrinati *Abraham*, & *Isaac* susceptiq; sunt ab *Abimelecho*: hìc ad torrentē detecti putei, natus *Isaac*, & à *Gerara* ductus in montem *Moria* immolandus: hìc *Asa* victor exstitit contra *Zaram* Æthiopem. *Gerara.*

§. V.

De Tribu Ruben, Gad, Isachar Ephraim, Manassis cis Jordanem.

Mel. Ubinam sita Tribus *Ruben*, & quæ in illa Urbes memoratu dignæ? *Tribûs Ruben situs Quis?*

Leuc. *Ortum versus* approximat *Arabiæ* desertæ: *versus Meridiem Madianitis*, & *Moabitis: Occasum versus* Mare Mortuum, & *Jordanem*; *versus Septentrionem* Tribum *Gad* finitimam tangit.

Urbes Quæ? II. Inter Urbes celebriores est *Bosor*, libera Refugii Civitas, recepta à *Juda Machabæo*, deletis hostibus. *Bosor Urbs Refugii.*

Adom. III. *Adom* ad *Jordanis* ripam, non procul à transitu Filiorum *Israël.*

Cariathaim. IV. *Cariathaim* capta à *Chodorlahomor*; à Filiis *Ruben* ædificata denuò, dúmque esset in antiquo regno *Moabitarum*, â *Jeremia* prædictum illi Judicium.

Bethabara. V. *Bethabara* prope *Jordanem*, ubi Baptismum pœnitentiæ impertiri solitus est Præcursor *Christi.*

Macharus. VI. *Macharus* Arx munita Mare mortuum versus, ubi decollatum volunt S. *Joannem Baptistam.*

Jasa. Betsemoth. VII. *Jasa*, *Betsemoth* Civitates Levitarum. Hìc etiam eminent montana *Phasgæ*, præcipuè jugum Montis *Nebo*, ubi mortuus *Moyses*, postquàm obtutu unico *Palæstinam*, quadraginta annorum tædiis quæsitam lustrâsset.

Tribus Gad Situs. *Mel.* Quis situs Tribui *Gad*, & quænam oppida celebriora?

Leuc. I. *Ortum versus* respicit *Arabiam* desertam, & *Amonitas: versus Meridiem* Tribum *Ruben*; *Occasum versus Jordanem: versus Septentrionem* Tribum dimidiam *Manassis.*

Urbes Quæ? Hesebon. II. Inter *Urbes celebriores est Hesebon*, quam Urbem alii Tribui *Ruben* adjudicant. Olim erat *Moabitica* sedes, contra quam oraculis detonuêre sæpè Prophetæ: subacta postmodùm ab *Amorrhæis*, Metropolis & Regia fuit Regis *Sehon*; cui transitum neganti erepta

pta est ab *Israëlitis*, & Levitis adjudicata.

III. *Ramoth-Galaad*, Urbs Refugii Levitica, capta à *Syris*, cùm eam recuperare vellet Rex *Achab*, *Michæa* prophetante, periit. Prope hanc Urbem Rex *Joram* contra *Hazaëlem* pugnaturus, accepto vulnere, est repulsus: in hac denique *Jehu* in Regem *Israël* est inunctus. *Ramoth Galaad Urbis Refugii.*

IV. *Mahanaim*, seu *Castra Dei*, sic dicta à *Jacobo*, quòd in hoc loco eidem Angelicæ Cohortes turmatim videndas se dederint; assignata Levitis est. Vicinia dicta *Galaad*, à *tumulo lapidum*, erecto in testimonium à *Labano* & *Jacobo*: huc recepit se *David*, fugiens à facie *Absalon*. *Mahanaim*,

V. *Soccoth* Urbs, sic nominata à *Tabernaculis*, quæ ædificaverat *Jacob*: hìc contigit occursus *Esau*, *Jacobo* fratri pacificus: hìc Seniores à *Gedeone* tribulis sunt contriti. *Soccoth.*

VI. *Phanuel* nomen trahit à lucta *Jacobi* cum Angelo. *Phanuel.*

VII. *Aroër* extructa à Tribu *Gad* in ripa *Arnon*, cujus civibus *David* misit dona de præda *Amalec*. *Aroër.*

Mel. Quis situs Tribui *Isachar*?

Leuc. I. *Ortum Versus* adjacet *Jordani* & laco *Genesareth*: versus Meridiem Tribui dimidiæ *Manassis*: ad Occasum affinis est Mari magno: ad Septentrionem Tribui *Zabulonis* conjungitur. *Tribûs Isachar situs Quis?*

II. *Urbes*: *Jezraël* sedes *Achabi* regia, sita ad radicem montis *Gelboe*, in cujus valle cum *Madianitis* *Gedeon*; *Saul* cum *Philistæis*; *Achab* cum Rege *Syriæ* inimicis signis congressus est. Hìc famosa est *Nabothi* vinea juxta Palatium; ager in quo devorata à canibus *Jezabel*: hìc interfectus à *Jehu* Rex *Joram* & *Ochozias*; huc allata sunt filiorum *Achab* *Urbes Quæ? Jezraël.*

capita, & à *Jehu* excisa est tota illius progenies.

Aphec. III. *Aphec* Urbs olim Regia, quam alii Tribui *Aser* adjungunt. Hæc *Israëlitis* erepta legitur à *Philistæis;* in quam cùm fugeret *Benadabus* cum reliquiis cædis, muris cadentibus est oppressus: hìc quoque *Syri* à *Ioachazo* consumpti sunt.

Naim. IV. *Naim* Urbs ubi suscitatus est à morte Filius Viduæ, quem *Maternum* vocant, ajúntque *Trevirensium* factum Episcopum. (*a*)

Montes Gelboe. V. Inter montes celebriores est *Hermon* de quo suprà: montes *Gelboe* diris à *Davide* devoti ob cædem *Saulis*, *Jonathæ*, & Fortium *Israël: Nec ros nec pluvia cadat super vos.*

Carmelus. VI. Mons *Carmelus* propter Mare magnum, altitudine quingentorum passuum, saltûs jucunditate, olivarum, & vinearum fœcunditate celebris. In hoc monte *Achabus* experimentum cepit *Eliam* inter & Sacrificulos *Baal*, sacrificium *Eliæ* absumente igne cœlesti: ex eo Propheta nubeculam, ex nubecula futuram pluviam prævidit: huic monti affinis Spelunca est, quæ nomen traxerat ab *Elia*, utpote illius, & aliorum Prophetarum celebre receptaculum.

Tribûs Ephraim fines Qui? *Mel.* Quid de Tribu *Ephraim*?

Leuc. Memorandi I. *Fines*: *versus Ortum* contermina est Tribui *Ruben: ad Meridiem* Tribui *Dan: Occasum versus* alluitur à Mari magno: ad Septentrionem Tribum *Manassé* dimidiam attingit.

Quæ Urbes? II. *Urbes*, quarum Princeps *Samaria*, Metropolis, & sedes regia Regum *Israël*, nomen traxit à monte *Semeron*, seu montis Domino *Somero*, quem cùm emisset *Amri* Rex *Israël*, decoravit Urbe, & ex *Thersa* huc sedem regi-

(*a*) *Lualdus.*

am

am transtulit, dixitque *Samariam*, quod nomen toti Regno *Israël* postmodùm adhæsit. Sub *Achabo*, fanum *Baali* erigente, pressa est fame, quam occisis Sacrificulis sustulit *Elias*: obsessa est à *Benadabo* Rege *Syriæ*, sed liberata. Sub Ioramo denuò obsidione cincta, pressáque horrendâ est fame, sed Numinis auxilio denuò est erepta. Sub *Osée* capta à *Syris* est, abolito nomine Regni *Samariæ*, Urbs Idololatriæ scelere, & Excelsis *Baalis* famosa semper: habitata à *Syris* hæresin Idololatriæ conjunxit, sic ut *Samaritani* restaurando *Solymæ* Templo semper se opposuerint. *Samariam* sæpè pertransiît *Christus* divini Verbi sementem spargendo: huc venit Philippus *Simonem* Magum confutaturus: huc missus quoque est *Petrus* atque *Joannes*: modò desertum est, in quo sub casis habitant *Samaritani*. *IX.* Samara.

III. *Sichem*, seu *Sichar* Urbs Refugii, ubi peregrinatus est *Jacob*, & postquàm ob *Dinæ* injuriam esset à Filiis Patriarchæ hujus excisa, sub Terebintho sepulta ab eodem Idola legimus. Huc missus *Josephulus* de valle *Hebron*, Fratres indagavit in *Dothaim*: in hujus agro, quem emerat *Jacob*, & speciali dono hæreditarium *Josepho* dederat, sepulta jacuêre *Josephi* ossa. Hic à *Josue* celebrata comitia: hic *Abimelechus* in Regem proclamatus, quam tamen Urbem brevi rebellem, unà cum seditiosa *Gaal*, destruxit, diruta turri, civibúsque morte multatis. Ad hujus puteum docuit *Christus Samaritanam*, quam asserunt *Photinam*, de qua Martyrologium vigesima *Martii* mentionem ingerit. *Sichem, seu Sichar. Urbs Refugii.*

IV. *Saron* mons & Urbs olim Regia, quam *Israëlitico* jugo submisit *Josue*, Regéque inter- *Saron.*

fecto, dedit Tribui *Ephraim*: ejus planities à fertilitate, & vel ideò à Regum pascuis celebrata legitur. Urbs ista teste D. *Hieronymo*, prædicante *Petro*, fidei fructus continuò germinavit.

Thamnath-sara.

V. *Thamnathsara*, Urbs Ducis *Josue* hæreditaria, in qua & habitavit, & obiit; sepulchrali lapide *Phœbum* stantem ad ejus imperia referente.

Baalhasor.

VI. *Baalhasor* in Tribu *Ephraim* prope cognominem urbem: erat hìc villa *Absolonis*, ubi tonsæ oves, & occisus est *Ammon*.

Montana Ephraim. Mons Hebal.

VII. Montana *Ephraim*, in quibus memorabile est jugum biceps; altius dictum mons *Garizim*, demissius mons *Hebal*: ex illo jubente Moyse à sex Tribubus dicta est benedictio in Legis observatores; ex hoc à reliquis maledictio in transgressores. E vertice *Garizim* *Joathanus Sichimitis* suam declamavit parabolam de *Rhamno*: ex hoc per *Epiphanis* Duces afflicta sæpè *Judæa* est: in hoc à *Senabaleth* erectum diximus Templum *Samaritanorum* schismaticum, quia *Jerosolymitano* oppositum, quod ab *Antiocho* Jovi sacratum, & ab *Hircano* destructum est. De quo Templo mulier *Samaritana* dixit ad *Christum*: *Patres nostri in hoc monte adoraverunt, & vos dicitis, quia Jerosolymis est locus* &c. (a)

Garizim.

Tribus dimidia Manassis cis Jordanem Situs Qui?

Mel. Quid de altera Tribu dimidia *Manassis* cis *Jordanem*?

Leuc. I. *Situs*: *Ortum versus* spectat *Jordanem*: *versus Meridiem* finitimam Tribum *Ephraim*: *Occasum versus* Mare magnum: *Septentrionem versus* Tribum *Isachar* attingit.

Urbes. Thersa.

II. *Urbes*: *Thersa* Civitas Regia, cujus Regulus à *Josue* est debellatus. A *Jeroboamo*

(a) *Joan*, 4. v. 20.

facta

facta est Metropolis Regni *Israël*, in qua occisus *Ela* à *Zambri*; *Zambri* ab *Amri*, qui *Samariam* transtulit sedem Regiam: hujus confinia, *Thapsam* præcipuè, devastavit Rex *Manahen*, furore etiam in matrum viscera desæviente.

III. *Thebes* Arce munita, quam succensurus *Abimelech* Tyrannus, per lapidem, à muliercula dejectum, mortuus corruit. *Thebes.*

IV. *Ephra* patria *Gedeonis*, in cujus suburbanam quercum descendit Angelus; sub qua postmodùm altare à *Gedeone* erectum diximus. Ex *Madianiticis* spoliis confectum *Ephod* * huc transtulit *Gedeon*, quod occasio Idololatriæ, & interitûs Familiæ extitit: namque ab *Abimelecho* occisi in hac Urbe septuaginta fratres, uno solo tyrannidem effugiente. *Ephra.*

V. *Endor*, quam alii ponunt in Tribu *Isachar*, ubi *Pythonissam* à *Saule* consultam memorat sacer Codex. Urbem aliam hoc nomine prope torrentem *Cison* Geographi collocant, *Jabini* cæde famosam. *Endor.*

VI. *Corozaim*, cui Judicium interminatum à *Christo*, Urbs est in *Galilæa*, una ex decem oppidis *Decapoleos* è regione *Capharnaum*, ex qua *Antichristum* nasciturum *Authores* autumant. *Corozaim.*

VII. *Galgal*, Urbs olim Regia, cujus Princeps deletus à *Josue*, Idololatriæ emporium infame. *Galgal.*

VIII. Mons Prophetarum, sic dictus à centum Prophetis, quos in montis hujus cavernas fugaverat *Jezabelis* furor: & quia sunt nutriti per *Abdiam*, Oeconomum *Achabi* re- *Mons Prophetarum.*

I 5 gium,

* Vestis erat Sacerdotalis cum pectorali, ut vocant, seu oraculo.

gium, *Abdiæ* nomen in perennem Nutritii tanti memoriam monti adhæsit.

Cæsarea Palæstinæ.

IX. *Cæsarea Palæstinæ*, dicta *Cæsarea* à Palatio, *Augusti* honoribus consecrato per *Herodem*; *Palæstinæ* à turri *Stratonis* ad distinctionem *Cæsareæ Philippi*. Celebre fuit Orientis emporium, Prætorum *Judææ* sedes. Huc deductus est *Saulus*, jam conversus in *Paulum*: hìc facta prima conversio Gentium in *Cornelio* Centurione: hìc accusatus *Paulus* apud *Felicem*, appellavit ad *Cæsaris* tribunal. Olim sedes erat Archiepiscopalis, hodie dicitur *Caisar*.

§. VI.

De Tribu dimidia Manassis trans Jordanem, Zabulon, Nephtali, & Aser.

Mediæ Tribûs Manasse trans Jordanem Situs Quis?

Mel. Quinam fines mediæ Tribûs *Manassis* trans *Jordanem*?

Leuc. Ab *Ortu* clauditur montanis *Hermon*: â *Meridie* tribu *Gad*: *ab Occasu Jordane*, & lacu *Genesareth*: â *Septentrione* montanis *Amana*.

Urbes Jabes Galaad.

I. *Oppida memoratu digniora* sunt *Jabes Galaad*: sic dicta hæc Civitas à Regione *Galaad* ad distinctionem alterius in Tribu *Juda*. Hæc Urbs vastata legitur ab *Israëlitis*, reservatis virginibus pro Tribu *Benjamin*. Obsessa est ab *Ammonitis*, proposita conditione de eruendo oculo dextero, liberata postmodùm est à *Saule*, cujus cadaver suspensum rapuêre cives, & sub nemoris quercu infelices ejus cineres sepeliêre, laudati meritò â *Davide*.

Astaroth.

II. *Astaroth*, ubi *Jobi* palatium fuisse, testis est

est S. *Hieronymus*: percussa est isthæc Civitas à *Chodorlabomor*, habitata à Gigantibus, facta postmodùm Regia *Og* imperantis huic viciniæ, quæ dicta *Basan* à pascuis: debellato Rege, pars plurima Regionis cessit Tribui *Manassis*; Urbs data Levitis est.

III. *Gaulon* unde vicinia *Gaulonitis*, Civitas Refugii, Levitis propria. Sunt, qui in hac Regione *Ausitidem*, seu terram *Huss*, *Jobi* Patriam, sitam volunt: alii contrà *Ausitidem* ponunt in *Idumææ* campestribus *Pharan*, *Ægyptum* inter & *Palæstinam*. In finibus fons *Phiala* visitur, ex quo ortum trahit lacus *Genesareth*.

Gaulon Urbs Refugii.

Phiala fons.

IV. *Gerasis* Regio, in dimidia Tribu *Manassis* ultra *Iordanem*, supra montem posita ad orientale maris *Galilæi* latus ex adverso *Tiberiadis*. Hìc liberati sunt duo Dæmoniaci (*a*) missique dæmones in porcos, *Christum* rogantibus incolis, ut exiret è finibus: Incolæ dicti *Geraseni*; Urbs *Gerasa*.

Gerasis.

Mel. Quid de Tribu *Zabulon*?

Leuc. I. Situs: *ad Ortum* spectat lacum *Genesareth*; *ad Meridiem* Tribum *Isachar*: *ad Occasum* Mare magnum, ad *Septentrionem* Tribum *Aser*, & *Nephtali*.

Tribûs Zabulon fines Qui?

II. *Urbes*: Has inter *Nazareth* in *Galilæa* supra montem posita in formam coronæ, urbs celeberrima, quia Familiæ sacræ, puta Deiparæ, & DEI Hominis, Servatoris nostri, patria, in qua & exuvias mortalitatis nostræ assumere, educari, & per annos ferè triginta vitam, mille mysteriis plenam, agere dignatus est. In hujus Synagoga non semel docuit *Christus*, usque dum à Civibus ductus est in supercilium montis, ut ageretur in præceps. Lapsu

Urbes Quæ? X. Nazareth.

(*a*) *Mat.* 8. 28.

Lapsu temporis in sedem Archiepiscopalem est electa hæc Civitas, dum denique Domus sancta in *Italiam Lauretum* ab Angelis est translata.

Dothaim. III. *Dothaim* non procul à monte *Bethuliæ*, in cujus agris, & planitie fertilissima, *Iosephulus* infelix invenit fratres, ubi in cisternam veterem missus, & *Ismaelitis* est venditus.

Betulia. IV. *Bethulia* Urbs ab *Holoferne* obsessa, aquis privata, & à *Iuditha* glorioso stratagemate est liberata.

Capharnaum. V. *Capharnaum* sic dicta à fonte celebri ibidem scaturiente, *Galilaæ* Metropolis, una ex Urbibus *Decapoleos*, à triennali *Christi* præsentia *Civitas* Domini dicta, plurimis prodigiis illustrata, & ad Cœlum usque elevata: sed vel ideò, *Christo* vaticinante, infra *Sodomam* deprimenda in die Judicii. Hîc solvit tributum *Christus* statere piscis: hìc docuit sabbathis singulis: hìc energumenum liberavit; socrum *Simonis* sanavit; paraliticum ad salutem reduxit; *Matthæum* vocavit; Reguli Filium absens in *Cana* vitæ restituit; aliáque plurima prodigia patravit.

Bethsaida Urbs. VI. *Bethsaida* infra mare *Galilæum* sita, *Petri*, *Andreæ*, & *Philippi* Apostolorum patria. Huic *Christus* comminatus est: *væ: væ tibi Bethsaida* &c. propter tot visa prodigia absque fructu: nam hic cæco restituit visum, sedavit tempestatem, & imperavit ventis, ac mari. *Bethsaida* quoque dicta est desertum *Desertum.* illud in Tribu *Manassis*, ubi quinque panibus, & duobus piscibus saturata est multitudo immensa. *Bethsaida* etiam vocabatur Piscina *Piscina.* probatica *Ierosolymis*.

Cana minor. VII. *Cana Galilææ* ad discrimen majoris *Canæ*, quam in Tribu *Aser*, *Tyrum* inter & *Sidonem*,

nem, sitam diximus. Hic aquam in vinum mutatam scimus, primo miraculo ad preces Magnæ Deiparæ patrato: hæc quoque Patria fuit *Nathanaëlis*.

VIII. *Cenereth* Urbs insignis, Monopolis Decapoleos, unde nomen suum lacus *Genesareth*. Ab *Herode* in honorem *Tiberii* dicta *Tiberias*, & magnificis palatiis, ac privilegiis est ornata: unde mare *Tyberiadis* cognomen traxit. Hic Discipulis suis aspectabilem sese præbuit *IEsus* post gloriosam anastasin: *Austrum* versus habebat balnea. Regio hujus nominis fertilissima, à *Benadado* Rege *Syriæ* est devastata. *Cenereth seu Tiberias.*

IX. *Jecona* Urbs olim Regia, quæ occisis Incolis à *Iosue*, Leviticæ Tribui data est: adjacet torrenti *Cison*. *Jotapata*, Urbs *Galilææ* tutissima, quia rupes tota, *Iosephi* defensione celebris. *Jecona.* *Jotapata.*

X. *Mons Thabor* surgens in campis *Esdrelon*, altitudine triginta stadiorum, florúmque perpetua viriditate, aëris temperie, arborum frugiferarum amœnitate, ferarum & avium jucunditate, planitie stadiorum viginti trium amabili celebris. Hic exercitum *Sisaræ Baracus*, descendere jussus de monte, grandi victoriâ fudit, atque confudit. Hic *Christus* diviniore gloriâ circumfusus apparuit, declarante Patre: *Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite*. Unde ibidem Templum magnificum erexit *D. Helena*; hodie in hujus area visitur hortus, variis floribus amœnus, sed clausus ob loci religionem. (a) *Mons Thabor.*

XI. Valles *Jephtaël*, *Bethuliæ*, *Carmelon* amœnitate florida memorabiles. *Valles.*

Mel. Quid de Tribu *Nephtali?* *Tribûs Nephtali situs. Quis?*

Leuc. I. *Situs: Ortum versus* Tribus dimidia *Manassis* trans *Jordanem*: *versus* Meridiem lacus

(a) *Joseph. l. 19.*

lacus *Genesareth*, & Tribus *Zabulon*: *ad Occasum* Tribus *Aser*; *ad Septentrionem Mons Libani* attingitur.

Urbes Quæ? II. *Urbes*: *Cæsarea Philippi* dicta *Cæsarea*, quia ab *Herode* in *Augusti* honores ampliata; *Philippi* verò à *Philippo Herodis* Filio: olim dicta *Laisa*, *Lais*, *Lesa*: Græcis *Paneas*, *Diospolis*; *Neroni Neroniane*; hodie *Belina*, etsi penè sit diruta. Sitam legimus ad montis *Libani* radices, quondam à sexcentis *Danitis* in cineres redacta, & sub nomine *Dan* erecta est denuò. Statuitur terminus *Palæstinæ* septentrionalis; unde proverbium: à *Dan usque Bersabée*. (a) Hic erectus à *Jeroboamo* vitulus aureus: hic *Christus* è suis Discipulis quæsivit: *Quem dicunt homines esse filium Hominis?*

Cæsarea Philippi. Seu Laisa. XI. Atque Lais.

Nephtali. III. *Nephtali*, Patria *Tobiæ*, è qua, sub *Phacée* subactâ, ductus est in *Syriam* captivus: huic Urbi præerat *Achimaas*. (b)

Decapolis. IV. *Decapolis* decem Urbes complexa Regio, longa & propè pariter lata, milliaribus nempe triginta. *Ad Ortum* respicit mare *Galilææ*; ad *Meridiem Betsan*; ad *Occasum Sidonem*; ad *Septentrionem Libanum* montem. Urbium situs mare *Galilææ* propemodùm cingit: Nomina sunt *Dan*, *Capharnaum*, *Corozain*, *Betsaida*, *Tiberias*, *Jotapata* de quibus suprà.

Cedes Nephtali Urbs Refugii. Item *Cedes Nephtali*, sic dicta à monte *Nephtali*, cui imposita, Urbs Refugii Levitica, *Baraci* patria, ubi ad arma contra *Sisaram* concitatæ sunt Tribus *Nephtali*, & *Zabulon*: capta est à *Syris* sub *Phacée* Rege *Israël*.

Asor. *Asor* itidem à *Syris* capta, Urbs in Tribu *Nephtali*, sita ad ripas *Jordanis*: aliam

Asor

(a) 1. Reg. 3. 20. (b) 3. Reg. 4. 15.

Asor dicunt Regiam *Jabini*, profligati á *Iosue* ad aquas *Merum*.

Sephec Urbs in Tribu *Nephtali*, sita in monte. *Betsa*, aliàs *Scythopolis*, Civitas in Tribu *Manassis* cis *Iordanem*, è cujus mœnibus suspensum diximus cadaver *Saulis* & *Ionathæ* à *Philistæis*. Hìc obviàm processit *Iudas* cùm quadraginta millibus *Triphoni*, à quo *Ptolemaide* proditus periìt. Sita est Civitas ad ripam occiduam *Iordanis*, egredientis è lacu *Genesareth*. Ex hac regione secutæ *Christum* sunt Turbæ: (a) In hanc quia Patriam, remissus Dæmoniacus ille, liberatus in terra *Gerasenorum*, ut promulgaret prodigium: in hac itidem liberatus est surdus mutúsque verbo *Ephtetha*, quod est *adaperire*.

Sephec.

Betsa.

V. *Mons Libani* de quo suprà.

Mons Libani.

Mons Christi.

VI. *Mons Christi* propter *Betsaidam*, è cujus altissimo culmine *Galilæum* mare, Tribum *Nephtali* & *Zabulon*, Montē *Libani*, *Hermon*, & *Seir* excurrens oculus despicere potuit. Fuit ab herbis salutiferis, magis à *Christi* doctrina salutifera celebris, utpote, qui in hoc monte orare sæpiùs; illuc vocare Apostolos, & doctrinam cœlestem interpretari est solitus. (b)

Mel. Quid denique de Tribu *Aser*?

Tribûs Aser fines Qui?

Leuc. I. Fines. *Ad Ortum* affinis erat Tribui *Nephtali*: ad Meridiem jacebat Tribus *Zabulon*: *ad Occasum* mare: *ad Septentrionem* montana *Libani*.

Urbes Rohob.

II. *Urbes*. Prima *Rohob* copiosa æquè, ac numerosa Civitas, cujus Incolæ non sunt deleti à Tribu *Aser*. Hæc illa Civitas, ad quam venêre exploratores *Chanaan*, quæ subin à *Iosue* Levitis est assignata.

Henoch.

III. *Henoch*, prima in Mundo, ùt quibusdam per-

(a) *Matth. 4. v. 25.* (b) *Luc. 6. 12 Mar. 3. 13. Matth. 6. & 7.*

persuasum est, Civitas, quam à *Caino* ad montem *Libani*, nomine Filii sic appellatam, atque ædificatam credunt. Inter *Henoch* & *Elcath* campus medius *Maspha* dicitur.

Sarepta. IV. *Sarepta* Metropolis * à Vidua celebris, cujus hospitæ paupertatem prodigioso oleo; mœstitiam resuscitato Filio *Elias* est consolatus. Sunt, qui hujus *Viduæ* Filium *Ionam* dicant. Cæterùm Urbs ista à generoso massico celebris, olim sedes erat Episcopalis; hodie appellatur *Sephet*.

Sidon. V. *Sidon*, cujus Incolas non exstirpârunt Filii *Aser*, & hujus Tribûs, & totius *Israëlis* magno incommodo: nam sub *Iairo* Judice servierunt Diis *Sidoniis Baal*, *Asteroth* & *Astarti* Deæ: à filiabus *Sidoniis* seductus est *Samson*: seductus *Achabus* à *Iezabele*. De hac Urbe pronuntiaverat *Christus*: *Væ tibi Corazain &c. quia si in Sidone factæ fuissent virtutes, olim in cilicio pænitentiam egissent.* Denique Urbs ista inter antiquissimas est numerata semper, mercaturâ celebris, quia maris portus: purpuræ & vitro elaborando ditam olim legimus, quam collapsam restituit *Ludovicus Galliæ* Rex. Hodie dicitur *Said*, gemitque sub jugo *Turcico*.

Tyrus. VI. *Tyrus Phœniciæ* Metropolis, maris & *Asiæ* Domina, Tribui *Aser* attributa quidem,

* *Quæres*: quænam fuerint in singulis Tribubus Metropoles? ℞. non convenit inter Geographos sacros: Pars potior ita statuit.

In Tribu		In Tribu	
Juda	Bethlehem.	*Ruben* - -	Bosor.
Benjamin	Jerusalem.	*Gad* -	Heseboń.
Dan -	Joppe maritima.	*Isachar* -	Jezraël.
		Ephraim -	Samaria.
Simeon	Gaza.	*Manass.cis.Jor.*	Thersa.

dem, sed nunquam acquisita Conditore *Tyra*, Filio *Iaphet*, si *Berosio* fides est. Rupi, coronæ instar, imposita prostat, tam munita vallis, quàm ornata Palatiis, cujus Incolæ arte nautica præstantes sunt. Variis est exercita fatis: à *Salmanassare* obsessam legimus, nec impunè: quia sexaginta navium clade, à duodecim *Tyriis* triremibus illata: per tredecim annos obsidione cincta à *Nabuchodonosore*, postquàm continenti insulam junxisset hostis, capta & diruta est; vix restituta ab *Alexandro* M. obsessa denuò, & denuò est afflicta. * Hujus Rex *Hyram*, *Davidis* atque *Salomonis* amicus, & ligna cedrina & Artifices suffecit pro Templo *Salomonio*, cui oblata viginti oppida in *Galilæa*, mercès illi haud satis grata. In hanc Urbem, quia superbam, sæpè minas, funestáque auguria detonuêre Prophetæ: hic à *Menelao* vasa Templi *Solymæi* vendita legimus: de hac

In Tribu	
Manass. trans Jord. - -	Jabes-Galaad.
Zabulon - - -	Nazareth.
Nephtali - -	Laisa, seu Dan.
Aser - - - -	Sarepta.

* *Quæres*: Qualis Regio fuerit *Ophir*, in quam â *Salomone* Classes missas legimus? ℟. sunt, qui *Peruanam* Provinciam in India occidentali assignent: Ita *Vatablus*, *Arias Montanus*, *Genebrardus*, & alii. Rationem assignant: quia 2. Paralip. 3. & 7. in textu *Hebraico* legimus, fuisse aurum *Paruaim*, id est in horum Authorum sensu, ex superiore & inferiore Provincia *Peruana*. Sed probabilior tenet cum *Sanchezio*, *Serario*, *Saliano*, *Josepho* Acosta *de Nat. novi Orbis c.* 13. & 14. fuisse Regionem in *Indiis* orientalibus, qualis est *Chersonesus*, *Taprobana*, *Pegu*, *Zeilam*,

Christus id ipsum dixit, quod de *Sidone: væ tibi Corozain* &c. *quia si in Tyro* &c.

Accho seu Ptolemais.

VII. *Accho*, cujus Regulus est debellatus à Josue, Urbs tradita Tribui *Aser*, cujus Incolas incolumes voluit, dicta postmodùm est *Ptolemais* à Regibus *Ptolomæis*, fuítque maritimus portus. In hac congregatæ sunt Gentes contra *Iudæos*, quæ tamen dispersæ sunt *Iudæ Machabæi* virtute: hæc à *Demetrio Sotere* ad sumptus Sanctorum oblata est *Ionathæ* Sacerdoti: hìc honoribus magnis exceptus Jonathas ab *Alexandro*, sed brevì ibidem captus à *Tryphone* interiît. Hujus Urbis fata fuêre varia in bello sacro; Episcopalis olim sedes, habitata postmodùm ab Equitibus *Jerosolymitanis D. Ioannis*, capta â Turcis, & hodie propemodùm excisa, triste jacet antiquitatis spectaculum, & vicissitudinis humanæ monumentum.

Mons Antilibanus.

VIII. *Mons Antilibanus*, quia oppositus *Libano*, vel potiùs, quia ejusdem *Libani* culmen alterum.

Mel.

ùt divinat *Menochius*. *Ratio est 1.* Quia ex *Asiongaber*, sitâ ad mare rubrum, navigatio facilis fuit in has Regiones; longissima in *Peruanam*. *2.* Quia hæ Provinciæ abundant auro, gemmis, ligno *Tün*, ebore, elephantis, simiis, quibus onustas legimus *Salomonis* classes; cùm his careat Regio *Peruana*. *3.* Quia *Ophir* nomen trahere videtur ab *Ofir* filio *Iectan*, nepote *Heberis Gen. 10. 29.* â quo uti & fratre *Hevila Gen. 2. 11.* Orientales Indias habitatas legimus. Unde dicendum: nomen *Paruaim* non â *Peru*, quod onoma recens est, sed â *Para*, seu *fructificando* etymon trahere.

Mel. Qua occasione tertiò divisa est *Palæstina?* *Divisionis Tertiæ Occasio Quæ.*

Leuc. Postquàm Regnum *Israël* in nefanda Idololatriæ scelera est prolapsum, decem illius Tribus â *Salmanassare* subjugatæ, ac in *Assyriam* abductæ sunt. Iisdem sceleribus corruit Regnum *Juda*; hinc & residuæ duæ Tribus *Iuda* & *Benjamin* â *Nabuzardane* devictæ, ac in servitutem *Babylonicam* sunt abstractæ.

II. Post hæc *Salmanassar* varias Gentes migrare jussit in terram *Israël*, quæ circa *Samariam* cùm habitarent, â Leonibus sunt infestatæ, usque dum â Sacerdote *Israëlita* in ceremoniis *Judaicæ* Legis instructæ, mixtam sectam profiterentur. (*a*) *Captivitas.*

III. *Nabuzardan* & *Judæis* residuis, & aliis Gentibus *Judæam* tradidit colendam & incolendam, *Godoliâ* Prætore, quem tamen seditiosæ quædam Nationis *Judææ* reliquiæ proditoriè trucidârunt. (*b*)

Mel. An restituti tandem in Patriam Filii *Israël* & *Judæ?* *Judæi restituti an & Quomodo?*

Leuc. Filii *Israël*, restituti nunquàm ex integro, ad hunc usq; diem per Orbem dispersi circumvagantur.* Filii *Iudæ* restituti denuò sunt â *Cyro*, cujus

K 2

(*a*) 4. *Reg.* 17. 24. (*b*) 4. *Reg.* 25. 22.

* *Quæres:* An jam ante *Christi* adventum *Israëlitæ*, atque *Judæi* per omnem Orbem dispersi fuerint? ℞. id testatur *Philo*, dum ait: *Judæos* jam suo tempore per Urbes *Europæ*, *Asiæ*, ac adjacentes Insulas fuisse dispersos. Idem confirmat *Cicero* in *or. pro L. Flacco* de Provinciis *Romani* Imperii. Conjecturas affert *Philalpandus*, dum in *Polonia* erutum sceleton cum quinque siclis *Judaicis*; & in *Hispaniis* prope *Soriam* anno Christi 1580. sepet-

cujus auxilio, & favore restaurata est *Jerosolyma* cum Templo, de quo liber *Esdræ* & *Nehemiæ*.

Mel. Quomodo ergò divisa tunc *Palæstina*?

Divisio tertia Qualis? In Judæam.

Leuc. In quatuor Provincias *Judæam*, *Samariam*, *Galilæam*, *Peræam*. *Judæa* sic dicta à Tribu principe, & Regno *Judæ* quindecim Urbes supra centenas, immò & quatuor integras complexa est Tribus, *Judam*, *Benjamin*, *Dan*, & *Simeon*. Oppida celebriora cæteris Tribubus numerârat, nempe *Jerosolymam*, Tribui *Iudæ* & *Benjamin* communem, *Bethlehem*, *Iericho* de quibus suprà.

XII. Divisio tertia partes enumerat quatuor.

In Galilæam.

Mel. Quid memorabile de *Galilæa*? *

Leuc. *Galilæa* sic dicta à *Galil*, quod *Hebræis* indicat *finem*, quia finitima Gentibus, unde cognomine dicta est *Galilæa* Gentium, Provincia *Palæstinæ* maxima, ditissima, fontibus, vino, oleo, fructibus fertilissima, quatuor & quadraginta oppida complexa, quorum quodvis quindecim armatorum millia suppeditare poterat. Divisa in regiones duas, super-

repertum lapidem sepulchralem asserit hac epigraphe: hic est Tumulus *Adoniræ* famuli Regis *Salomonis*, qui venit, ut exigeret Tributum, & mortuus die - - *Vide Menochium. Cent. 5. cap. 44.*

Quæres secundò: Cur *Judæi* per omnem Terrarum Orbem à Deo dispersi sint? ℞. *1.* Quia commisêre scelus *Caini*; unde eâdem pœnâ multati: *Vagus & profugus eris super terram Gen. 4. 12.* Ut etsi hostes, *tamen per omnes Gentes dispersi, testes*, etiam inviti, *essent iniquitatis suæ*, & Veritatis nostræ *D. Augustino* teste *in ps. 58.* *3.* Ut *Uriæ* instar per Orbem circumferrent ipsimet Legem suam, veluti *tabulas testes* de perfidia sua, toties præ-

* *Vide Men. C. 9. C. 25.*

superiorem, quæ *Galilæa* simpliciter est appellata, & inferiorem. Hæc Tribum *Zabulon* & *Isachar*; illa Tribum *Nephtaim* & *Aser* continebat. Fines habuit ab Ortu *Jordanem*; â Meridie *Samariam*; ab Occasu Mare magnum; â Septentrione *Syriam* seu *Phœniciam*. Hæc *Christi* fuerat Patria, unde dictus est *Galilæus*, sexcentis ab illo miraculis illustrata: desolata est â *Theglat Phalassare* Rege *Syriæ*. Incolæ bellicosi, & vel ideo extitêre exosi aliis. Hi primi *Romanis* rebelles, in Templo Garizim â *Pilato* concisi sunt: alebant sectam, quæ expressè neganda *Cæsari* tributa profitebatur: unde *Christus*, velut *Galilæus*, tentatus est â *Pharisæis*: unde vox illa *Nathanaëlis: â Galilæa potest aliquid boni esse?* & illa: *scrutare Scripturas, quia è Galilæa Propheta non surgit*: etiam parvuli exquisitissimis tormentis eò adigi nunquam poterant, ut *Cæsarem Dominum* (a) agnoscerent, vel appellarent.

prædicta, de impletis oraculis, de Messia occiso, de lata sententia desolationis, & perditionis propriæ, ùt vult S. *Gregorius M. l. 3. Moral. c. 21.* 4. Ut Veritatem Religionis Catholicæ, per Orbem dispersæ, ubique quærerent, agnoscerent, palparent, & sese tandem converterent, ùt indicat *Menochius Cent. 5. Cap. 45.* 5. Ut ubique Gentium Infidelibus, perfidis, ac sceleratis essent exemplum Divinæ Vindictæ, ùt vult *D. Chrysostomus super Ps. 8.* 6. Ut denique in Mundi fine pars illorum magna converteretur, id augurante Apostolo Gentium ad *Rom. 9. 27. Isaias clamat pro Israël: si fuerit numerus filiorum Israël tanquam arena Maris, reliquiæ salvæ fient.*

(a) *Jos. l. 7. c. 29. de bell. Jud.*

In Samariam. *Mel.* Quid de *Samaria?*

Leuc. Hæc in *Palæstinæ* umbilico, *Judæam* inter & *Galilæam*, Tribum *Ephraim* & mediam *Manassis* complectebatur: sub *Phacée* pars Populi magna à *Theglat Phalassare* translata est in *Assyriam:* sub *Osée*, à *Salmanassare* destructo Regno, Incolæ navibus impositi, & in *Assyriam*, ac totum Orbem dispersi sunt. Subin possessa terra à *Syris*, qui à Leonibus vexati, Idololatriæ ceremonias Legis miscentes, ob morum religionísque discordiam, sectam effecêre *Samaritanam.* *Samaritani.* Hinc odium ingens *Samaritanos* inter & *Iudæos*, *Christúsque* non nisi per convitium dictus est *Samaritanus.*

In Peræam. *Mel.* Quid de *Peræa?*

Leuc. *Peræa* sic dicta à πέραν, quia trans *Iordanem* sita, continet Tribum mediam *Manassis*, Tribum *Gad* & *Ruben*: divisa fuit in *Trachonitidem* & *Ituræam.*

Ituræam. II. *Ituræa*, sic dicta ab *Ithur*, *Ismaëlis* filio, si *Adrichomio* fides, *Samariam* inter & *Arabiam* sita, Teste *Lubino*, partem Tribûs *Rubem* & *Gad* sic erat complexa, ut pars inferior fertilis, superior aspera fuerit: unde & asperi Incolæ fuêre, ac latrociniis assueti. *Herodes* dicitur *Ituræa* Tetrarcha, in qua *factum Verbum Domini super Ioannem Baptistam in deserto.*

Trachonitidem. III. *Trachonitis* si dicta à Τραχὼν, seu saxorum asperitate, Tribum mediam *Manassis* ut plurimum complexa, ad Ortum *Arabiam* desertam; ad Septentrionem *Damascum* usque excurrit. Incolæ rapto vivere assueti latrunculorum more habitabant in speluncis. *Zenodoro* erepta ab *Octaviano Augusto*, & *Herodi* est tradita, à quo Incolæ ad agrum colendum

lendum non ſemel coacti, & reſilientes non ſemel domiti: tandem *Philippo* hæreditate relicta eſt. Hanc volunt fuiſſe olim terram *Huſſitidem*, ſeu *Auſitidem*, inter *Ægyptum* & *Palæſtinam*, in campeſtribus *Pharan* in confiniis *Arabiæ* & *Idumeæ*.

Mel. Quinam Populi *Palæſtinæ* finitimi? **Populi Palæſtinæ finitimi Qui?**

Leuc. Ortum verſus Madianitæ, Ammonitæ, Moabitæ, Amalecitæ, quibuscum plurima fuêre bella vicinæ Tribui *Ruben, Gad*, ac *Manaſſis* mediæ. *Verſus Occaſum Philiſtæi*, quibuscùm negotia habuêre Tribus *Simeon*, *Juda*, *Ephraim*. *Meridiem verſus Ægyptii*, *Edomitæ*: *verſus Septentrionem Syri*, quorum aſſultus Tribus *Aſer* & *Nephtali* non ſemel expertæ ſunt. Hi hoſtes â DEO relicti, cùm ad exercendam virtutem, tum ad caſtigandam Populi ſui perfidiam, quos ſi initio ad DEI juſſa eradicâſſent, nec illorum ſeducti erroribus, nec caſtigati jugo, nec ferro vindice ſæpiùs ingemuiſſent.

Mel. Quænam quarta, & hodierna *Palæſtinæ* diviſio? **Quarta Palæſtinæ Diviſio Quæ?**

Leuc. Hæc Geographiæ novæ reſervatur, neque huc ſpectat, ubi ſolùm animus eſt Hiſtoriam tradere de Teſtamento veteri novóque, quam in everſione Regni *Judaici*, facti â *Tito Veſpaſiano*, ſuprà terminavimus. *

* *Quæres*: Ex quibus motivis Gens *Hebraicæ* colligat, ſpem ſuam in *Meſſiam* venturum eſſe vanam, atque fruſtraneam? ℞. 1. Quia nec angulum habent in Orbe, in quo vel rudem Reipublicæ formam formare poſſent. 2. Quia hæc deſolatio jam durat ultra ſedecim ſæcula: immò jam ultra duo annorum millia â vaticinio *Aggæi*, quo dixit c. 2. v. 7. & 8. *Adhuc modi-*

INSTRUCTIO II. CHRONOLOGICA.

Chronologiæ notitia necessaria Quæ? MElander. Quæ Chronologiæ notitia pro Historio studio necessaria?

Leucotheus. Illa, quam in *Elemento universali* trademus alibi, habito selectu, Institutionum Historicarum fini, ac Candidatorum capacitati accommodam.

Quæ pro Historia sacra? *Mel.* Quid necessarium scitu pro faciliore Historiæ sacræ intelligentia?

Leuc. Sciendum primò, *Chronologiam esse Doctrinam temporum, quibus eventus, digniores memoriâ, contigêre.* 2. *Epocham*, esse *Epocha Quid?* *terminum temporis, eventu magis memorabili celebrem, à quo annos numerare solent Chronologi.* 3. Alias Epochas dici *sacras* pro Historia *sacra*; *profanas* alias pro Historia *profana*, quibus proin, veluti totidem terminis, utuntur Historici, ad rerum seriem, faciliori divisione ac methodo, Legentium memoriæ imprimendam.

Divisio Temporis. *Mel.* Quomodo dividitur tempus Historiæ sacræ?

Leuc.

modicum, & veniet desideratus cunctis Gentibus. 3. Quia frustrà conati sunt jam sæpiùs restaurare Regnum sub *Adriano*, sub *Constantino M*, â quo abscissis auriculis dispersi sunt in Orbem Terrarum teste *S. Chrysostomo Orat. 2. contra Judæos.* Sub *Juliano*, ubi ipsum Cœlum insana disturbavit molimina. 4. Quia *Danielis* Hebdomadæ sunt pridem elapsæ, ùt alibi demonstrabimus. 5. Quia aliæ servitutes Ægyptiaca, Babylonica, Syrica, sub *Antiocho* erant prædictæ cum termino, conjunctæ cum Prophetarum oraculis, prodigiis

Leuc. In tempus *Veteris*, & *Novi* Teſtamenti: illud uſque ad *Chriſtum* natum complectitur annos 4052. quos dicimus *Chronologiam antiquam*; hoc à *Chriſto* nato, usque ad *Solymæ* everſionem annos continet 70. quos *Chronologiæ novæ* exordia nominamus.

Mel. Quot igitur Epochis dividitur Chronologia antiqua, ſeu Veteris Teſtamenti Hiſtoria? *In 6. Epochas Teſtamenti veteris.*

Lenc. *Sex*, quot nempe *Mundi ætates*, usque ad *Chriſtum* natum, numerare ſolet Chronologorum pars potior.

Ætates.	*Epochæ.*
Prima.	*Prima.*
Status Patriarcharum ante Diluvium.	A Creatione Mundi usque ad Cataclismum.
Secunda.	*Secunda.*
Status Patriarcharum, qui coævi hominum diſperſioni.	A Cataclismo usque ad Abrahamum.
Tertia.	*Tertia.*
Status Patriarcharum, quibus circumciſis factæ promiſſiones.	Ab Abrahamo circumciſo usque ad Moyſen.
Quarta.	*Quarta.*
Status Judicum.	A Moyſe usq;ad Saulem.

digiis &c. Hæc prædicta,ſed absque termino *Dan. 9. v. 27. & usque ad conſummationem, & finem perſeverabit deſolatio.* Item *Iſaiæ 5. v. 25. In his omnibus non eſt averſus furor ejus, ſed adhuc manus ejus extenta.* Nunc nec habent Prophetas, nec prodigia, Dei propitii teſtimonia &c. ut bellè *Prudentius in ult. Apoteoſi* cecinerit.

Exiliis vagus huc illuc fluitantibus errat
Judæus, poſtquàm patria de ſede revulſus,
Supplicium pro cæde luit, Chriſtique negati
Sanguine reſperſus, commiſſa piacula ſolvit.

Quinta.	*Quinta.*
Status Regum.	A Saule usque ad Captivitatem solutam.
Sexta.	*Sexta.*
Status Summorum Pontificum.	à Captivitate soluta usque ad Christum.

In unicam Testamenti novi.

Mel. Quot epochis dividitur Chronologia nova, seu Testamenti novi Historia?

Leuc. Unicâ.

Ætas septima seu ultima.

Christus natus usque ad excidium Solymæ.

Epochæ omnes litteræ C indicatæ.

Et ut memoriæ Juventutis impressæ tenaciùs hæreant, initiali littera C. incipiunt omnes, hísque versiculis continentur.

Prima *Creat*; *Cataclysmi* undas docet altera; Abramum
Tertia dat *Circumcisum*; fert quarta cruentam
Ægypto *Cladem*; fit *Consecratio* Saulis
In quinta; Patriæ *Captivos* sexta remittit;
Septima dat *Christum*, quam Templi incendia claudunt.

Schema Chronologicum sacræ Historiæ.

Mel. Da Schema Chronologicum totitus Historiæ sacræ.

Leuc. En Epochas!

Prima.

A. M. *Creatio* Mundi, seu Status Patriarcharum primus per annos 1656.

Secunda.

1656. *Cataclysmus*, seu Status Patriarcharum secundus per annos 383.

Tertia.

2039. *Circumcisio*, seu *Abram* natus, statúsque Patriarcharum tertius per annos 505.

Quar-

		A.M.	R.C.
Quarta.			
Clades Ægypti per Moysen, seu Status Judicum viginti duorum per annos 418.		2544.	-
Quinta.			
Consecratio Saulis, seu Status Regum viginti duorum per annos 554.		2962	-
Sexta.			
Captivitas sublata per Cyrum, seu Status Pontificum viginti duorum per annos 537.		3516	- 215
Septima.			
Christus Natus, usque ad excidium Solymæ per annos 70. *		4052	- 751

§. I.
Epocha Prima.
Status Patriarcharum ante Diluvium, â Creatione Mundi usque ad Cataclysmum spatio Annorum 1656.

IN principio creat DEUS Cœlum Empyreum, Terraqueum globum, Angelos, infer- *Ætas Mundi Prima.*

* *Quæres primò:* Cur additur ætati Mundi etiam æra *Romana*? ℞. Et quia illius opportuna necessitas ad intelligentiam Chronologiæ antiquæ, & quia illius magna facilitas: nam cùm *Roma* condita cadat in annum 3301. alio opus non erit, quàm ut hunc numerum subtrahas ab anno Mundi, & habebis annum conditæ Urbis. Vicissim, si hunc numerum addas anno conditæ Urbis, habebis annum Mundi quæsitum. *Quæres secundò:* Quid circa Chronologicam sacræ Historiæ seriem præcipuè observandum? ℞. notanda sunt tria: *Primum*; quod in tanta Chronologorum diversitate

fernum, & ineunte quidem vere, * sex dierum successione.

Pagi. A. M. 32 &c. – 1. Primus anni dies vesperi inchoatur, priore sui parte tenebrosum habet chaos, posteriore conditur lux, fitque primus dies Dominicus. *Secundo* producitur à DEO firmamentum, orbes Cœlestes in medio aquarum & ex aquis, aër quoque & ignis. *Tertio* congregatis aquis apparet Tellus, in Tellure germina, formatur Paradisus. *Quarto* Sol & Luna cum stellis. *Quinto* ex aquis aves, & pisces. *Sexto* animalia, *Adamus* Homo primus ex luto, *Eva* ex costa. *Septimo* celebratum à DEO est Sabbatum. **

Adam

versitate (nam ùt diximus f. 32. solus *Vallemont* sex supra sexaginta opiniones varias de Mundi ætate ad usque *Christum* natum adducit) cuivis Historico sistema sit eligendum, cui in chronologica eventuum serie constanter inhæreat. Nos Chronologiam *Saliani*, *Spondani*, & aliorum selegimus, qui veram *Christi* æram referunt ad annum Mundi 4052. & hoc ob rationes certas, quas in Collegiis Historicis adducemus. *Secundum* quòd sicut apud Chronologos, ita & apud nos subinde numerus significet annum *completum*, subinde *incompletum*: unde unius anni diversitas, etiam inter Authores synchronos facilè complanabitur. Sic si quis *fol. 32. Christum* natum legat anno Mundi 4053. alibi 4052. prior annus pro *inchoato*, alter pro *completo* sumendus est, & omnis diversitas evanescet. *Tertium* quòd à Rudimentis Historicis inviti, sed necessariò differamus: nam illorum sistema cum nos latuerit, *Saliani* methodo, quem pro Duce selegimus, insistendum fuit.

* An non potiùs Autumno ùt vult *Petavius*? vide *Coll. Hist.*

** Hoc Sabbathum quanta religione, immò & super-

Adam in Paradiſo manet in ſtatu Innocentiæ per aliquot dies. *Decimo tertio* tentatur, peccat, cum uxore ejicitur è Paradiſo Cherubino machæra flammea Paradiſum cuſtodiente. **

Naſci-

ſuperſtitione coluerit *Judaica* natio, partim ex S. Scriptura, partim ex variis Authoribus colligere fas eſt. Prohibitum erat primò ignem ſuccendere *Exod.* 35. 3. cibos parare *Exod.* 16. *Num.* 15. Secundo *nec Ramum, nec frondem, nec folium demere fas eſt, nec fructum ullum decerpere* inquit *Philo. l.* 2. *vitæ Moyſis* & colligitur ex *Matth.* 12. *Lucæ* 6. Tertiò negotiari *l.* 2. *Eſdræ* 10. 31. Quartò portare quidpiam huc vel illuc: *non licet tibi tollere grabatum tuum Joan.* 5. Quintò non peregrinari *Exod.* 16. 29. *nullus egreditur loco ſuo die ſeptimo*: excepto itinere Sabbathi de quo ſuprà f. 271. cui bis mille pedes tribuit S. *Hieronymus* ep. ad *Algaſiam* q. 10. hoc eſt, *Abulenſe* teſte *milliare* circiter. Sextò movere bella *1. Mach.* 2. *n.* 41. Septimò exercere opera, etiam non ſervilia, qualia ſunt ſcribere, calculos inire &c. niſi urſiſſet ſumma neceſſitas. His acceſſit ſuperſtitioſa quorumdam religio: *Volaterano* teſte, *Judæus* in *cloacam* prolapſus die Sabbathi, exinde eripi noluit â Chriſtianis, dicens: *Sabbatha noſtra colo, de ſtercore ſurgere nolo*: unde die dominica repoſuêre Chriſtiani: *Sabbatha noſtra quidem Salomon ſervabis ibidem. Origenes l.* 4. *Petrachon:* memorat, religioni ſibi duxiſſe non nullos uno humero portare quidpiam, non vero duobus. Nonnulli incedere calceamentis ferro armatis, vetitum putabant eodem teſte. *Joſephus* Author eſt *l.* 2. *de bell. Jud. c.* 7. *Eſſenios* neque ventrem purgare auſos: alii in ipſis Synagogis purgare candelas & lampades verebantur *Serarius l.* 1. *in*

Joſue

Pag. *M.A.* Nascitur *Cain* anni initio, nono inde mense
55. - *2.* *Abel.*
55. - 3. Multiplicantur Filii *Adæ*.
Adam agnoscit diversam indolem *Caini*, &
55. - *10.* *Abelis.*
56. - *100* Notantur Sacrificia *Adami*, *Abelis*, & *Caini.*
56. - *130* *Abel* à fratre occiditur.
58. - *131* Nascitur *Seth*, *Enoch* Filius *Caini.*
57. - *150* Conditur à *Caino* *Enochia* Civitas.
Nascitur *Enos*, Patre *Setho* annum 106. agen-
59. - *236* te, qui *Enos* cœpit *invocare nomen Domini.*
Nascitur *Cainan* Filius *Enos*, anno Patris no-
- *326.* nagesimo.
Natales *Malalaëlis* Filii *Cainan* anno Pa-
- *396.* tris 70.
Nascitur *Jared* Filius *Malalaël* anno Pa-
- *461.* tris 65.
- *623.* Nascitur *Henoch* anno Patris 162.
Nascitur *Mathusalem*, Filius *Henoch* anno Pa-
tris 65. Sub hæc tempora vixit *Lamech*, ne-
pos *Caini* & Parricida, primus polyga-
mus:

Josue c. 4. Q. 12. Immò est etiam hodie reperire *Bonfrerio* Authore *super 20. caput Exod.* qui litteras aperire, nisi fortè Christianorum operâ, formidant.

** *Quæres:* Quidnam fuerint *Cherubin* custodientia Paradisum? ℞. juxta *Theodoretum Q. 40.* in *Genesin* fuêre spectra, seu formæ horribiles animalium, quæ terrefaciebant ingredi volentes Paradisum. Juxta *Jacobum Chium* fuit Hominis simulacrum, horribili forma, larváque contextum, quod ab aditu prohiberet Homines, eum in modum, quo in satis aviculæ, pannis palo affixis, abjuguntur: hæc deliria sunt: nam Angelos fuisse, vox *Cherubin* indicat, quæ pro Angelis in Scriptura passim accepta legitur. *Vide Bellarminum l. de gratia primi hominis c. 16.*

	A.M. - Pa.
mus: Item ejusdem Filii *Jabel*, *Jubal*, *Tubalcaim*. - - - -	688. -
Nascitur *Lamech* Flilius *Mathusalæ* anno Patris 187. - - -	875 -
Moritur *Adam* - -	930 - 58.
Eva creditur mortua - -	940. - 58.
Henoch transfertur anno ætatis 365. -	987 - 59.
Moritur *Seth* anno ætatis 912. Deinceps facta inter *Sethi* & *Caini* progeniem, hoc est inter *Filios DEI*, & *Hominum* commixtio, unde prodiêre Gigantes. - - -	1000. 1042. -
Natales *Noë* anno *Lamechi* Patris 182. -	1057. -
Denuntiatur Diluvium 120. annis antequàm contigerat. - - - - -	1537 - 66.
Constructio Arcæ *Noëmo* præcipitur, eáque centum annis ab eo conficitur. - - -	1557 - 66.
Nascitur *Sem* anno Patris 503. - - -	1559. -
Moritur *Mathusalem* anno vitæ 969. inchoante, ipso anno diluvii, ætatis *Noë* 600.*	

§. II.

Epocha Secunda.

Ætas Mundi secunda.

Cataclysmus, seu Status Patriarcharum secundus, coævus Gentium dispersioni, à Cataclysmo usque ad Abrahamum, ejúsque fœdus cum DEO per Circumcisionem spatio annorum 383. nempe ab anno Mundi 1656. usque ad annum 2039.

A.M. - Pag.

SEcundo mense anno 1656. â veris initio cœpit diluvium, die 17. mensis: septiduo priùs 1656. -

* An circa Patriarcharnm vitas Chronologia S. Codicis *Græci*, an *Hebraici* sit præferenda? *Vide Coll. Hist.*

Pag. - A.M. priùs monetur *Noë* de ingressu in Arcam. 40. diebus pluvia perseverat: 150. diebus stant aquæ sine incremento: deinceps minuuntur, & post 13. dies Arca quiescit. Septimo mense 27. die mensis Arca solo adhæret: decimo mense ab initio Diluvii, prima die mensis apparent cacumina montium: post 40. dies, sive decimo die undecimi mensis emittitur corvus; emissa quoque columba eodem die redit: denuò post dies septem, sive decimo septimo Mensis ejusdem emissa à *Noë* columba redit iterum, sed cum ramo olivæ: post alios 7. dies iterum emissa columba haud redit ampliùs, sícque absolvitur

60 & 68. - 1656 Diluvii annus, constans 365. diebus.

Primo Mense sic imminutæ sunt aquæ, ut suis tantùm alveis continerentur: secundo, & quidem die 27. egreditur ex Arca *Noë* postquàm in ea moratus fuisset annum unum,

- 1657. & dies decem.

Nascitur *Arphaxad* ex *Semo* centenario: *Noë* plantatâ vineâ ebrius irridetur à *Chami* Filio,

72. - 1659. unde maledictio *Chanaan*.

Nascitur *Phaleg*, anno *Heberis* Parentis 34. quo tempore facta Terrarum divisio, Idololatria

73. - 1688 sumit exordia.

57. - 2850 Nascitur *Nahor*.

- 1880. Ortus *Thare* anno *Nachoris* Patris 29.

- 1909. Erigitur Turris *Babylonica*

Divisio linquarum, & dispersio Gentium

2000. 1931. anno à Diluvio 275 & *Noë* 875.

- 2006. Moritur *Noë* ætatis anno 950.

Epo-

Ætas Mundi Tertia.

§. III.
Epocha Tertia.

Circumcisio, seu Status Patriarcharum, quibus factæ à DEO promissiones ab Abrahamo usque ad Moysen, seu Cladem Ægypti per annos 505: nempe ab anno Mundi 2039. usque ad 2544.

	A.M.	Pag.
ORtus *Abrami* anno Patris *Thare* 136.	*2039	79
Nascitur *Loth* Patre *Arano* -	2048.	-
Conjugium *Abrahæ* cum *Sara*; *Nachoris* cum *Melcha*. - - -	2068.	-
Abram septuagenarius vocatur ex *Ur Chaldææ* in *Haran*. - - -	2100. 2108	80.
Vocatur secundò ex *Haran* in *Chanaan*, mortuo *Thare* ætatis anno 205. -	2114	80.
Abram ingreditur *Ægyptum*. - -	2115	80.
Redit in *Chanaan*; separatur à *Lotho*.	2116	81.
Habitat in *Hebron*, & fœdus init cum *Hebronitis*. - - -	2117.	-
Chodorlabomor cum sociis pugnat contra Pentapolim: *Abram* liberat *Lothum*; ei occurrit *Melchisedech*. - -	2118	82.
Insignis *Abrahæ* visio, initúmque cum DEO fœdus. - - -	2119	82.
Conjugium *Abrahæ* cum *Agar*, quæ vexata ab Hera fugit, reditque denuò suadente Angelo.	2124	83.
Nascitur *Ismaël* ex *Agar* anno Patris 86.	2125	83.
Abrahæ centenario promittitur Filius ex *Sara*: Circumcisio instituitur: Clades *Pentapolis*: *Abram* migrat in *Ægyptum*.	2138	83. & 84.

* An non anno 78. ùt vult Petavius? *vide Coll. Histor.*

85 - 2139. Naſcitur *Iſaac*: *Ammon* quoque & *Moab*.
Ejicitur ex domo *Abrahæ Agar* cum *Iſmaële*
- 2144. annum agente vigeſimum. - -
Conjugium *Iſmaëlis*, & fœdus *Abrahæ* cum
- 2154. *Abimelecho*.
Moritur *Sem* annos natus 600 quindecim ge-
- 2158. nerationibus coævus.
Abraham offert *Iſaacum* annos agentem 25.
86 - 2163. primo die ſeptimi menſis.
87 - 2175. Moritur *Sara*.
Iſaac annum agens 40. ducit uxorem *Rebec-*
88 - 2178. *cam*.
- 2179. Conjugium *Abrahæ* cum *Cethura*.
88 - 2199. Naſcitur *Eſau* & *Jacob*.
2200.
88 - 2213. *Abraham* moritur ætatis anno 174. compl.
89 - 2223. Vendit *Eſau* Primogeniti Jura.
90 - 2238. *Eſau* quadragenarius, ducit uxores.
Jacob ſurripit paternam benedictionem, fu-
- 2276. git in *Meſopotamiam*.
- 2278. Mors *Rebeccæ* anno ætatis 118.
Matrimonium *Jacobi* cum *Lia*, & *Rachaële*:
95 - 2283. naſcitur *Ruben*.
Sequenti anno *Simeon*, tertio *Levi*, quarto
- 2286. *Judas* & *Dan* ex *Bala*.
Anno proximo naſcitur *Nephtali* ex *Bala*, &
Gad ex Zelpha: altero *Iſachar* & *Zabu-*
lon ex *Lia*: ſequenti *Dina* ex *Lia*, & *Jo-*
96 - 2289. *ſeph* ex *Rachaële*.
Migrat *Jacob* ex *Chaldæa* abſente *Labano*,
qui eum perſequitur: *Iacobo* occurrunt An-
97 - 2296. geli, luctatur cum Angelo, occurrit *Eſavo*.
Jacob moratur in *Soroth*, mox in *Sichimorum*
99 - 2298. agro, quem emit prope *Salem*.
2300. In hoc annorum ſpatio memoranda veniunt
- 2303. *Ioſephi* ſomnia.
Dina ingreſſa annum 17. violatur à *Sichem*
Filio

Filio *Hemoris*: fratres *Sichimis* inferunt vastitatem: DEI jussu *Jacob* migrat ex *Sichem*. A.M. - Pa. 2305*. - 99.

Joseph venditur: *Rachel*, & *Debora* concedunt fatis: nascitur *Benjamin*: *Judas* ducit uxorem anno ætatis 20. - - 2306. -

Josephus præficitur Domui *Putipharis*; calumniam passus in carcerem mittitur triennalem, annum agens 27: sequenti ministrat vinctis, somnia exponit. 2312. - - 2316. -

Moritur *Isaac*: nascitur *Caath*, *Levi* secundo genitus. - - - 2318 - 101.

Ioseph evocatur ex carcere, somnia *Pharaonis* interpretatur; præficitur Palatio Regio. 2319 - 101.

Primus annus famis: *Jacob* decem Filios mittit in *Ægyptum*. - - 2327. -

Nascitur *Job*: fames cogit *Iacobum* ad alteram Filiorum legationem: *Iosephus* agnoscitur, qui evocat Patrem cum suis.** - 2328 - 101.

Tertius annus famis, primus habitationis *Israëlitarum* in *Ægypto*, seu terra *Gessen*: *Iacobi* 130.mus *Josephi* quadragesimus. 2329 - 117.

Quartus annus famis, quo *Ioseph* omnem pecuniam *Ægyptiorum* infert thesauro Regio. 2330 - 118.

Quinto pecora; sexto bona, & libertatem; septimo nutrit ipse *Ægyptios*.

Moritur *Jacob* annos natus 147. anno 17. habitationis in *Ægypto*, Principatûs *Iosephi* 26to. - - - 2345 - 119.

Primus annus certaminis *Iobi*, quod septennium duravit. - - 2398 - 102.

Josephi vitæ, & Principatûs ultimus: illa fuit 110; hic 80 annorum. - - 2399 - 121.

Jobus in sterquilinio, mox restitutus in integrum. - - 2400. - 2405 - 102.

* *Fol. 99. est error typographi, cùm ponitur A. M. 2301.*

** An mora Israëlitarum in *Ægypto* ab hoc anno incipienda? *Vide Coll. Hist.*

- 2406. *Moritur *Ruben* anno ætatis 124.
- 2409. *Iſachar*, annum agens 122.
- 2411. *Zabulon* annos natus 124.
- 2412. Obitus *Dan*, anno vitæ 127.
- 2413. Mors *Aſeris* anno ætatis 126.
- 2415. Moritur *Benjamin*, annos natus 111.
- 2418. Moritur *Nephtali* & *Gad* anno utriusque 132.
- 2421. Obit *Levi* anno vitæ 127.
- 2428. Obeunt *Manaſſes* & *Ephraim*.
- 2450. Moritur *Caath*, avus *Moyſis*.

111. *2451 Initium ſervitutis *Ægyptiacæ*. *

122 - 2456. Obſtetrices jubentur *Hebræos* parvulos jugulare.

- 2457. Naſcitur *Maria* ſoror *Moyſis*.
- 2461. Ortus *Aaronis*.

122 - 2464. Natales *Moyſis*, poſtquàm priore anno edictum exiiſſet de occidendis infantibus, exponitur, liberatur.

123 - 2468. *Moyſes* educatur in Aula.

123 - 2491. Naſcitur *Ioſue* anno *Moyſis* 28.

2500.

123 - 2503. *Moyſes* anno ætatis 40. abſcedit ab Aula.

124 - 2504. *Moyſis* commoratio apud *Jethronem*.

- 2505. Naſcitur *Caleb*.
- 2522. Moritur *Amram* Pater *Moyſis* A. ætatis 137.

124. - 2543. & 125. *Moyſes* vocatur à DEO ad liberandum Populum anno ætatis 80. **

Epo-

* An hoc verum initium? *vide Coll. Hiſt.*

** Inchoato non completo, quia non ſatis credibile, plagas *Ægyptiacas* omnes, ipſámque egreſſionem in unum annum incidiſſe: unde cùm in *Act. Apoſt. c. 7. v. 30.* legitur *expletis annis*, intelligendum eſt eo modo, *quo conſumati ſunt dies octo*, id eſt octavo currente, *ut circumcideretur Puer*; nempe accommodè. *Vide Salianum ad Annum Mundi* 2543.

§. IV.

Epocha Quarta.

Ætas Mundi quarta.

Seu status Judicum à Clade Ægypti per Moysen usque ad Consecrationem Saulis per annos 418. Ab anno mundi 2544. usque ad annum 2962. *

	A.M. - Pa.
EXitus ab *Ægypto*, per plagas 10. afflictâ: Lex datur in monte Sina: *Jobus* moritur anno vitæ 217. -	2544 - 105. & 129. & 130.
Initium Pontificatûs *Aaronis:* erigitur Sanctuarium: *Maria* murmurat: mittuntur exploratores, quibus redeuntibus gravis seditio oritur. - -	2545 - 147. 151. 162.
Seditio *Chore*; virga *Aaronis* floret. -	2547 - 153.
Mors *Moysis* anno ætatis 120. exitûs ab *Ægypto* 40mo: priùs moritur soror in *Cades*: *Aaron* in monte *Hor*. Ad hunc annum pertinent aquæ contradictionis, serpentum morsus, victoriæ contra Reges *Sehon*, *Og*, *Balac*; fornicatio *Israël* cum *Moabitis* &c. - -	2583 - 156. & reliquis
Josue, electus Dux, transit *Jordanem*; expugnat urbem *Jericho:* sacrilegium *Achan*, & inde orta clades: expugnatio urbis *Hay:* promulgatio Legis in Monte *Hebal*, & *Garizim:* victoria de quinque Regulis, Sole stante &c. - -	2584 - 161. & reliquis
Partitio *Palæstinæ*, licèt necdum penitùs subactæ: migratio ex *Galgalis* in *Silo*.	2589 - 174

L 3 Nova

* Quot sint anni ab Exodo usque ad fundamenta Templi? an 480. ùt insinuat Scriptura 3. *Reg. c. 6.* an plures, ùt vult *Petavius*, *Gravesonius*, & alii?

Pa. A.M. Nova terræ promissæ divisio: *Rubenitæ* ex-
structo altari in *Jordane* ad sua redeunt: ini-
174 - 2590. tium annorum Sabbathicorum.
175 - 2599. {*Josue* celebrat Comitia,
{Renovat fœdus cum DEO.
2600.
175 - 2600. Moritur *Josue* & *Eleazarus*.
177 - 2601. *Phineis* Pontificatus: expeditio contra *Ado-*
178 - 2602. *nibezec*, sequenti anno contra *Jerusalem*:
2603. tertio in *Hebron*: decimo quarto in *Habir*.
178.
180 - 2617. Mors *Calebi* anno ætatis 113.
Israëlitæ in Idola prolapsi: Historia *Michæ*:
urbs *Lais* à *Danitis* occupata: clades *Ben-*
178 - 2622. *jamiticæ* Tribûs ex injuria uxoris Levitæ &c.
180 - 2623. Initium servitutis 8. annorum sub *Chusan*.
181 - 2630. *Othoniel* Populum liberat. *
181 - 2640. Mors *Othonielis*, *Phineis*.
Israëlitæ redeunt ad Idola: initium Pontifi-
181 - 2641. catûs *Abisve*, filii *Phineis*: *Ahodus* Judex.
Initium servitutis secundæ octodecim anno-
181 - 2651. rum sub *Eglone Moabita*.
181 - 2669. Soluta ab *Ahodo* servitus.
- 2695. Initium Pontificis 5. *Bocci*.
2700. *Ahodi* mors anno 80. Principatûs: surgit
182 - 2710. *Sangar*.
Initium *Debboræ*, *Barac*, *Ozi* sexti Pontificis:
182 - 2721. servitus tertia sub *Jabino* cœpta.
Libertas reddita per *Debboram*: *Sisaræ* mors per
182 - 2741. *Iaëlem*.
- 2760. Mors *Baraci*, *Debboræ*.
Initia *Gedeonis*, & *Zachariæ* 7. Pontificis:
183 - 2761. *Madianitica* servitus septem annorum.
184 - 2768. Solvitur per *Gedeonem*.
2800.
186 - 2800. Mors *Gedeonis*.

Abi-

* Quot anni eidem tribuendi? *vide Coll. Hist.*

	A.M.	Pag.
Abimelech occidit fratres: huc pertinet Historia *Ruthæ*. - -	2801	186. & 187.
Abimelech Tyrannus interficitur lapide.	2803	187.
Thola Judex. - -	2804	189.
Noëmi redit in Patriam. - -	2810	188.
Obed, Avus *Davidis* naſcitur. -	2811.	-
Tholæ obitus: ſequenti anno ſurgit *Jair* Judex.	2826	189.
Servitus iterata ſub *Ammonitis* 18. annorum	2832.	-
Jair moritur anno Principatûs 22.	2848.	-
Jephte Populum liberat, ex voto filiam immolat. - -	2850	190. & 191.
Jephte moritur: ſequenti anno *Abeſan* Judex	2854	191.
Servitus quadragenaria ſub *Philiſtæis*.	2860.	-
Obit *Abeſan*, naſcitur *Samſon*. -	2861	192.
Aialon init *Magiſtratum*. - -	2862	191.
Aialonis obitus: *Abdon* Judex.	2872	191.
Abdon moritur: *Samſon* Judex. -	2880	192.
Res à *Samſone* geſtæ. - -	2884	192. & ſeq.
Servitus ſublata morte *Samſonis*. -	2899	195. & 197.
Heli Pontifex poſt *Achitobum* Judex.	2900.	
	2900	197.
Natalis *Samuelis* - -	2901.	-
Ejus prophetia contra *Heli*. - -	2913	198.
Moritur *Heli* 40. anno Pontificatûs: finitur mora Sanctuarii in *Silo* poſt 350. annos: Duo Filii *Heli* in bello moriuntur, & Arca capitur à *Philiſtæis*. - -	2939	198.
Samuel Judex, ſummus Sacerdos *Achitob*, nepos *Heli* ex *Phinée*: Arca *Philiſtæos* vexat per ſeptem menſes: reſtituitur: in *Cariathiarim* collocatur. - -	2940	199. 200.
Samuel Populum excolit: *Philiſtæos* tributarios reddit. - -	2947	200.

- 2950. David nascitur anno *Isai* 70.
Comitia in *Masphat*: vincuntur *Philistæi*: recipiuntur urbes amissæ: *Samuelis* Filii Judi-
200 - 2960. ces constituuntur.

Epocha Quinta,

Seu status Regum à Consecratione Saulis usque ad Captivitatem sublatam à Cyro, spatio annorum 554. nempe ab Anno mundi 2962. usque ad annum 3516.

Ætas Mundi quinta.

Pa. - A.M. INitia Regni *Saulis* * *Achia* Pontifice: un-
206 - 2962. gitur in Regem à *Samuele*.
Proclamatur in *Masphat*: *Ammonitas*
207 - 2963. profligat: in *Galgalis* confirmatur.
& 208.

Jonathas delet præsidium *Philistinorum*:
209 - 2964. amissio Regni prædicitur *Sauli*.
211 - 2965. Bellũ contra *Moabitas*, *Ammonitas*, *Philistæos*.
Bellum contra *Amalecitas*: *Saul* abdicatur
212 - 2968. Regno: *Agag* interficitur à *Samuele*.
David primò inungitur: Spiritu principali do-
213 - 2969. natur, qui recedit à *Saule*.
214 - 2970. *Saulis* morbo medetur Psaltes *David*.
Goliathus sternitur à *Davide*: amicitia *Jonathæ* coalescit: *Davidis* elogio offensus *Saul*
214 - 2971. lanceâ eum tentat transfigere.
& 217.
217 - 2972. *Saul* Hostibus *Davidem* objicit.
Jonathas Saulem Dividi placat, sed mox intortâ fugatur lanceâ: Domo, *Micholis* astu, elabitur: per sagittas à *Jonatha* de iterato periculo

* An quadraginra annos regnârit? *Vide Coll. Hist.*

riculo edocetur: ab *Abimeletho* in *Nobe* refici- *A.M.* - *Pag:*
tur: inde fugit ad Regem *Achis*, & insidias si-
mulata stultitiâ effugit: in speluncam *Odol-
lam* profugus, fit Ductor manipuli vagantis. 2973 - 217. & 218.

David transit ad *Moabitas* cum propinquis; redit in terram *Israël*; audit Sacerdotum necem à *Doego* proditore illatam jubente *Saule*: excidium urbis *Nobe* evadit *Abiathar*: *David* in *Ceila Philistæos* profligat, & mox fugit ab urbe, à DEO præmonitus. 2974 - 219.

Abiathar fit Pontifex: *David* apud *Ziphæos* moratur, quem *Saul* persequi non cessat, DEO pericula discutiente. - - 2975 - 219.

In deserto *Engaddi* parcit *Sauli*, orâ clamydis in spelæo abscissâ. - - 2976 - 219.

Moritur *Samuel*: *David Nabalem* ulturus mitigatur per humanitatem *Abigail*, quam matrimonio sibi jungit. - - 2977 - 220.

Saul redit ad ingenium, instigantibus *Ziphæis*: *David* in tentorio dormienti *Sauli* aufert hastam & scyphum: agnoscit *Saul* suam perfidiam. - - - 2978 - 220.

David fugit denuò ad Regem *Achis*, qui eidem Urbem *Siceleg* assignat, è qua prædas agit à *Philistæis*. *Saul* vexat *Gabaonitas*: oritur bellum contra *Saulem*, qui adit *Pythonissam* malo omine: *David* è castris *Philistæis* remittitur in *Siceleg*, ubi *Amalecitas* prædatores persequitur: intereà *Saul* infeliciter pugnat, cadit cum Filiis, ejus corpori illuditur, quod tamen vindicant *Jabesitæ*. - - - 2979 - 221.

Initium Regni *Davidis*, *Abnere Isboſethum* ad Solium elevante. - - 2979 - 221. & 223.

Bellum civile, quod initium sumpsit ex ludo gladiatorio; *Azaël* occiditur ab *Abnere*. 2982 - 224.

Pag. - A.M. *Abner* offensus ab *Isbosetho* Regnum totum *Davidi* tradere satagit: mox proditoriè à *Ioabo* occiditur, *Davide* illius morti illacrymante.

225 - 2985. *Isbosethus* occiditur à gemino proditore, quibus naulum rependit *David* præcisis manibus, pedibúsque: totus Populus se *Davidi* subdit; inungitur tertiò, & Rex proclamatur.

225 - 2986. *David* arcem *Sionis* in Regiam ornat, ejectis *Jebusæis*, ibíque Regnum, Regnique Metropolim construit.

225 - 2987. *Philistæos* profligat.

231 - 2988. Arcam transferre parat in *Sion*; sed ob *Oza* fata eandem deponit in Domo *Aminadab*.

231 - 2989. Arca deponitur in Arce *Sion*, manente Tabernaculo in *Gabaon*: parat ædificium Templi, accipit divinitùs illius Ideam, sed prohibetur à DEO ab ejusdem constructione.

232 - 2990. *Davidis* varia bella in *Philistæos*, *Moabitas*, *Syros*, *Idumæos*.

usq; ad 2991

233. - 95.

& 234.

234 - 2996. In *Hannonem Ammonitam*.

235 - 2997. In *Syros*.

Labitur *David* in adulterium, mox in homicidium, *Joabo* urbem *Rabbam* obsidente.

235 - 2998. Pœnitet *Davidem* admissi sceleris: moritur ex adulterio susceptus infans: adest Rex expugnationi urbis *Rabba*.

236 - 2999. Nascitur *Salomon*: peccat *Ammon* cum *Thamare* sorore.

3000.

238 - 3000. Occiditur *Ammon* ab *Absolone*.

238 - 3002. Reconciliatur *Absolon*: crescit *Salomon* Instructore *Nathan* Prophetâ.

239 - 3005.

& 240.

239 - 3007. *Absolon* admittitur denuò in Aulam.

Insur-

	A.M. - Pag.
Insurgit in Parentem, *Achitophele* Consiliario.	3008 - 240.
Absolonis rebellio in Urbe *Hebron*: *Davidis* fuga &c. *Achitophelis* consilia: prælium inter Patrem & Filium: perit *Absolon*.	3009 - 240. & 242. 243.
Restituitur *David*: nova rebellio *Sebæ*: à *Joabo* occiditur *Amasa*: *Seba* obsessus occiditur, supprimiturque seditio.	3010 - 245. & 247.
Fames *Judææ*, à DEO immissa, ob afflictos *Gabaonitas* &c.	3011 - 247.
Prælia *Davidis* contra *Philistæos*.	3014 - 247.
Numeratur Populus, immittitur pestis.	3017 - 247. & 249.
Adonias Regnum ambit: nascitur *Roboam* ex *Ammonitide*, *Salomonis* uxore.	3019 - 249.
Incipit regnare *Salomon*: disturbatur *Adoniæ* fastus.	3020 - 250.
Celebrantur Regni comitia: *Davidis* pro Templo apparatus, testamentum, mors.	3021 - 251.
Interficitur *Adonias*, uti & *Ioab*: in *Gabaon* repletur sapientiâ *Salomon*; jungit sibi Filiam *Pharaonis*.	3022 - 252. & 253.
Fundamenta Templo ponuntur.	3023 - 257.
Ædificatur Templum.	3024 - 257. & *seq.*
Semei interficitur.	3025 - 253.
Dedicatio solemnis Templi.	3030 - 260.
Ædificatur Regia *Salomonis*.	3031 - 272.
Apparet Dominus *Salomoni* secundò.	3042 - 274.
Venit Regina *Saba*.	3047 - 256.
Initia ruinæ *Salomonis* in fastu, luxu &c.	3048 & *seq.* 276.
Ejusdem nefanda scelera.	3054 - 276. & *seq.*
Monetur ab *Achia* Propheta: suscitantur hostes: *Ieroboamo* decem pallii frustis jus in	

Re-

Pag. - A.M. Regnum à Propheta tribuitur, qui fugere
277 - 3057. cogitur in *Ægyptum.*
278 - 3059. Moritur *Salomon* anno Regni 40. vitæ 60. *
Roboam regnare incipit: redit ex *Ægypto Ie-*
285 - 3060. *roboam*; oritur rebellio; dividitur Regnum.
332.
Jeroboam Idololatriâ firmare Regnum aggre-
286 - 3061. ditur; à Propheta arguitur.
& 332.
332 - 3062. A multis *Israëlitis* deseritur.
332 - 3063. *Roboam* Idola colit.
333 - 3064. A *Sesaco* Rege *Æpypti* vapulat.
- 3076. Moritur *Roboam* æt. A. 57.
333 - 3077. *Abias* Rex *Judæ Jeroboamum* impium debellat.
229. & 228.
288 - 3078. Moritur *Abias Jeroboami* Filius.
- 3079. Moritur *Abia* Rex *Iuda*; succedit *Asa* probus.
334 - 3081. Moritur *Ieroboamus*: *Asa* destruit Idola.
289.
290 - 3082. *Nadab* Rex *Israël* occiditur à *Baasa.*
290 - 3083. *Baasa Ieroboami* familiam delet.
290 - 3086. Occidit Prophetam *Jehu.*
335 - 3094. *Asa* vincit Æthiopes.
336 - 3095. In fine corrumpit.
3100.
290 - 3105. Moritur *Baasa* Rex *Israël.*
Ela Filius *Baasæ* occiditur à *Zambri*, hic mox
290 - 3106. ab *Amri.*
& 291.
291 - 3110. *Amri Samariam* condit.
291 - 3117. *Amri* moritur; *Achab* succedit.
291. 3118. *Jezabelis* instinctu cultus *Baal* inducitur.

363 - 3120. Moritur *Asa* Rex *Iudæ*; succedit *Iosaphat.*
- 3121. Instauratur *Iericho* ab *Hiele* filiorum morte.
Jo-

* 80. Annos regiminis perperàm adstruit *Pezronus, Josephum* secutus, contra authoritatem *S. Script. l. 3. Reg. 11. Dies quos regnavit Salomon super omnem Israël, 40. anni sunt.*

Iosaphat feliciter regnat: suscitatur *Elias*; siccitatem petit, *Achabo* frustrà monito; nutritur à corvis. - - *A. M.* 3123 - *Pag.* 337. & 308.

Joram Rex *Judæ* ducit *Athaliam*: *Jezabel* furit in Prophetas: *Elias* mittitur in *Sareptam*; viduæ Filium suscitat. - 3124 - 309. & 292.

Elias adit *Achabum*; Scertat cum Sacrificulis *Baal*; occidit omnes; pluviam impetrat. 3126 - 309. & 310.

Elias fugit, latet, remittitur à DEO, *Elisæum* aggregat. - - - 3127 - 311.

Achab Nabothi vineam rapit; pœnam denuntiante *Eliâ* dolet. - - 3130 - 292.

Vincit *Syros* semel, & iterum. - - 3134 & 5. 293. & 294.

Renitente *Michæa* aggreditur *Syros*; vincitur unà cum *Iosaphato*, Rege *Judæ*: *Achab* occiditur Anno Regni 22. Succedit *Ochozias* Filius, qui labitur per cancellos: *Elias* Legatos cœlesti igne consumit; ob consultum *Beelzebub* mortem Regi annuntiat. - 311. 3138 - 295. 296. 311. 338.

Regnat *Ioram* in *Israël*: *Elias* rapitur in Cœlum: *Elisæus* duplici donatur spiritu & *Eliæ* pallio: Magistri exemplo *Iordanem* dividit; sanat aquas in *Iericho*; petulantem puerorum turbam ursis tradit dilaniandam; habitat in *Carmelo*: *Ioram* comite *Iosaphato* pergit contra *Moabitas*: *Elisæus* siti laborantibus providet: vincitur Rex *Mesa*, qui in muris Filium Diis sacrificat; hinc urbis obsidio solvitur. - - 3139 - 297. 311. & *seq.*

Elisæus oleum viduæ multiplicat, divertit ad *Sunamitidem*. - - - 3140 - 314.

Josa-

Pag. - A.M. *Iosaphat* Rex *Iudæ* vincit hostes *Moabitas.*
314 - 3143. *Sunamitidis* Filius ab *Elisæo* suscitatur.

Primus annus septennis famis in *Israël: Sunamitis* peregrinatur apud *Philistæos*: *Eli-*
315. - 3144. *sæus* cibum emendat; panes multiplicat.

Iosaphat, Rex *Iudæ*, moritur anno Regni 25.
339 - 3145. æt. 60. *Elisæus* ferrum natare facit.

Iosaphati Filius *Ioram* Fratres, & Principes *Iudæ* perimit: *Syrus* copias mittit ad comprehendendum *Elisæum*, quas ipse excæcatas
316 - 3146. tas ducit in urbem *Samariam.*
339.

Ioram, *Athaliæ* vitio, sectatur idola: *Syrus*
339. - 3147. *Samariam* obsidet.

Idumæa deficit à *Ioramo* qui expeditionẽ irritam suscipit; litteras accipit ab *Elia*; ægrotat: *Samaria* hoste pressa, & fame, utro-
298 - 3148. que malo liberatur ab *Elisæo.*
339. 317.

Elisæus Damasci Hazaëli consulenti, Regis *Syriæ* mortem; illi verò Regnum, & quidem crudele, inter lacrymas prædicit: *Ioram* Rex *Iudæ* clade afficitur à *Phili-*
340 - 3149. *stæis.*

Ioram Rex *Iudæ* infelix moritur: *Sunamitis* redux bona sua recuperat: *Naaman Syrus* sanatur ab *Elisæo*: *Ioram* in expeditione contra *Syros* vulneratur: invisit ad illum *Ocho-*
299 - 3150. *sias* Rex *Iudæ.*
315.

Ungitur *Iehu*: occiditur *Ioram* & *Ochozias*: * *Iezabel* occiditur: *Achabi* tota familia ex-

* *Quæres*: cùm 4. Regum 8. v. 26. dicatur: 22. *annorum erat Ochozias cùm regnare cæpisset*: & 2. *Paralipp.* c. 22. v. 2. *annorum* 42. cuinam textui sit adhærendum? ℞. *Petrus Annatus in appar. ad Theol. myst. l.* 2. *a.* 13. adhærendum

	A.M.	Pag.
exstirpatur, uti & Sacrificuli *Baal* cum Idolo: *Athalia* stirpem regiam exscindit *Ierosolymis*; *Ioas* subducitur. - -	3151	300.
Jehu vitulos adorat: hinc vexatur ab *Hazaële Syro*. - - -	3152	303.
Occiditur *Athalia*: *Ioas* septennis Rex declaratur. - -	3157	341.
â *Ioa* colliguntur pecuniæ pro Templo restaurando. - -	3177	342.
Moritur *Iehu* an. Regni 28. -	3178	303.
Ioachaz, Filius *Iehu*, vexatur â *Syris*. -	3180	303.
Moritur *Ioiada* Pontifex. - -	3184.	-
Ioas instaurat Idola. - - -	3185	342.
Vexatur ab *Hazaële Syro*, vexámque redimit Thesauris Templi. - -	3192	342.
Zacharias ob fervorem in Religione ab Aulicis *Ioæ*, Regis *Iudæ*, occiditur: *Ioas* malè habitus â *Syris*, ægrotat, *Amasiâ* Filio Regnum administrante. - - -	3192	342.
Moritur *Hazaël*, Rex *Syriæ*: iterata clade â *Syris* afficitur *Ioas* Rex *Iudæ*: *Ioachaz* Rex *Israël* assumit *Ioam* Filium in Regni Collegam. - -	3193	303.
Ioachaz moritur. - - -	3195.	-
Ioas Rex *Iudæ* occiditur à suis. - -	3196	343.
Amasias Filius ulciscitur mortem Patris.	3197 3200.	343.
Elisæus ægrotat; invisenti *Ioæ*, Regi *Israël*, vaticinatur victorias contra *Syros*; moritur.	3204	314. 317.
Elisæus mortuus mortuum suscitat: *Syros* ter vincit *Ioas* triennii spatio. - -	3205	303. & 304.

Ama-

rendum esse priori de annis 22, quo posterior corrigendus: ratio est, quia priori consonant Textus *Syriacus*, atque *Arabicus*. 2. quia aliàs *Ochozias* biennio esset senior Parente. *Vide Authorem l. cit.*

Pag. - A.M. *Amaſias* conducit militem in *Iſraël*; dimittit;
304 - 3208. *Idumæos* vincit ; eorum Idola colit.
& 343.

Amaſias à *Ioa* vincitur, capitur : *Ioas* moritur.
304 - 3210.
343.

Ieroboam II. priùs Patris Collega in Regno
305 - 3211. per undecim annos, ſolus jam imperat.
305 - 3212. *Ionâ* animante devincit *Syros*.
318.

Ionas Niniven mittitur, fugit; dejicitur in mare; devoratus à piſce ejicitur ; prædicat pœnitentiam; ſervatur *Ninive*; ejus triſtitia
318 - 3216. à DEO corrigitur.
344 - 3225. Occiditur *Amaſias* Rex *Iudæ*.
Oziæ Regis *Iudæ* pia initia: *Osée* prophetat;
319 - 3227. ducit fornicariam DEI juſſu.
344 - 3236. *Ozias Hieroſolymam* inſtaurat.
344 - 3230. Profligat Hoſtes.
320 - 3248. *Amos* Propheta minas detonat.
Moritur *Ieroboamus* II. anno 41. Regni non tam piè, quàm feliciter adminiſtrati: *Amos*
305 - 3251. occiditur ab *Amaſia* Popa.
305 - 3252. Interregnum in *Iſraël* ferè annorum 12.
320 - 3255. Prophetant *Eſaias*, *Abdias*, *Ioël*, *Micheas*.
Jeroboami II. Filius, *Zacharias*, Regnum oc-
305 - 3263. cupat per ſex menſes.
Zacharias deturbatur à *Sello*; *Sellum* à *Mana-*
305 - 3264. *hen*.
306 - 3265. *Manahen* ſævit in urbem *Tapſam*.
Naſcitur infamis *Achaz*: *Ozias* Rex *Judæ*, ob attentatum ſacrificium, leprâ percutitur; unde habitat extra Urbem : moritur *Ma-*
306 - 3274. *nahen* Rex *Iſraël* ; ſuccedit *Phaceia* Filius.
344.

Ioathan Filius *Oziæ* Regnum *Iudæ* adminiſtrat

ſtrat, eò quòd Pater involans in Sacerdoti- *A. M. - Pag.*
um, leprâ percuſſus ſit.
Phaceias occiditur à *Phacée* : naſcitur *To-* 3275 - 344.
bias.
Moritur *Ozias* anno Regni 52. ætatis 68. 3276 - 321.
Succedit *Ionathan* Rex. X. 3277 - 345.
Theglat-Phalaſſar abducit partem *Iſraëlis* 3278 - 345.
magnam in vincula ſervitutis.
Naſcitur *Ezechias*, Patre *Achaz* vix annum 3279 - 306.
duodecimum agente. *
Ioathan Rex *Iudæ* vincit *Ammonitas.* 3285. -
Michæas Junior prophetat. 3286 - 345.
Moritur *Ioathan*, regnat *Achaz.* 3290 - 382.
Achaz victus, capitur à *Syris* : mox à *Phacée* 3293 - 345.
debellatur occiſis 120. hominum millibus. 3294 - 346.
Syris, & *Iſraëlitis*, bellum renovantibus con-
tra *Achaz*, hic malè *Aſſyrios* in auxilium
evocat.
Phacée occiditur ab *Oſée* anno Regni 20. 3295 - 346.
Achaz Aſſyrium ducit *Solymam*, qui depræ- 3296 - 306.
datur opes, Rege *Achaz* in extremam im-
pietatem delabente : *Oſée* Rex *Iſraël* fit ve-
ctigalis Regi *Syriæ.*
Achaz Rex *Iuda*, ab *Idumæis*, & *Philiſtæis* 3297 - 347.
vexatur : *Osée* Rex *Iſraël* tributa pendit
Syriæ.
3298
& 99. 307.
347.
348.
Ezechias Filius Idololatriam exterminat, ſer- 3300.
pentem æneum confringit. 3309 - 348.
349.
Osée tributa negat *Salmanaſſari*, mox pendit:
Ezechias vincit *Philiſtæos.* 3310 - 307.
350.
Oſeas deficit ab *Aſſyriis.* 3311 - 307.

* An vera hæc chronologia? *vide Coll. Hiſt.*

Pag. - A.M. *Samaria* capitur, Rex cum Populo abduci-
307 - 3314. tur; dispergitur: oritur *Judith*.
321. -

Samariam incolunt novi coloni, ex variis
307 - 3315. Gentibus: Prophetam se probat *Nahum*.
320. -
321. -
382. -

Tobias in captivitate felix: infelices *Samariæ*
307 - 3315. coloni, quia à leonibus infestati.
321. -
350 - 3320. *Ezechias* se se parat ad defectionem ab *Assyriis*.
350 - 3321. Deficit anno Regni decimo tertio.
Sennachirib irruit in *Iudæam*: *Ezechias* ingenti mulctâ frustrà bellum avertit, avertit tamen Deus, avocando *Sennachirib* in *Ægyptum*: Intereà *Ezechias*, ad mortem de-
350 - 3322. cumbens, miraculo horologii restituitur.
Sennachirib redit in *Iudæam*, obsidet *Ierosolymam*, ab Angelo profligatur 185. millium
351 - 3324. clade: *Ezechias* ostentat opes.
\- 3326. Nascitur *Manasses*: *Assaradon* vexat *Iudæos*.
3331. *Tobias* Senior infelix improvisa cæcitate.
322. - & 32.
Tobiæ illuminatio; junioris felix reditus *Ra-*
322 - 3335. *phaële* Duce.
& 324. -
352 - 3337. Mors *Ezechiæ* Regni 29. vitæ 54.
& 376. -
353 - 3338. *Manassis* scelestissimum regimen.
Idololatria invalescit *Manassis* impietate, *Isa-*
353 - 3340. *iam* occidit.
377. -
353 - 3344. *Manasses* capitur à *Merodacho*.
353 - 3345. Restituitur.
365 - 3346. *Iudithæ* historia, *Holofernis* mors. *

Ma-

* An in hæc tempora incidat Historia Judithæ! *Vide Coll. Hist.*

	A.M.	Pag.
Manaſſes pœnitens.	3350	353.
Naſcitur *Ammon*, *Manaſſis* ſucceſſor.	3371.	-
Moritur *Tobias* Senior anno vitæ 102, *Manaſſis* 40.	3377	325.
		345.
Naſcitur *Ioſias* an. 50. Regni *Manaſſis*.	3387.	-
Moritur *Manaſſes* an. Regni 55. vitæ 66.	3392	354.
Ammonis regimen ſceleſtum: ortus *Ieremiæ*.	3393	354.
		377.
Ammonis mors domeſtico ſcelere.	3394	354.
Ioſias octennis fit Rex.	3395	354.
		& 382.
	3400.	
Naſcitur *Ioſiæ Ioacim*.	3401.	-
Ioſiæ regimen laudabile.	3402	354.
		& 355.
Naſcitur *Joachaz*.	3403.	-
Ioſias Idololatriam exſtirpat.	3406	354.
Moritur Junior *Tobias*: *Ioſias* vaticinia implet de ſe edita ante annos 349.	3410	326.
Ortus *Ezechielis* Prophetæ.	3411	380.
Inſtauratur Templum; reperitur Liber ſacer.	3412	355.
Sedecias naſcitur.	3416.	-
Iuditha moritur Anno æt. 105.	3418	383.
Oritur *Ioachinus*, *Ioſiæ* Nepos.	3419.	-
Ioſias, intercludens *Pharaoni* iter in *Chaldæos*, occiditur an. Reg. 31. *Ioachaz* regnum invadit favore *Populi* fultus: abducitur in *Ægyptum* à *Pharaone*; moritur, ſubſtituto *Ioakimo*.	3425	355.
Ioakim Pharaoni fit vectigalis; malè imperat; occidit *Uriam* Prophetam.	3426	356.
		377.
		383.
Ioakim à *Nabucodonoſore* capitur; abducitur *Babylonem*; brevi remittitur.	3428	356.
	& 29	357.

Pag. A. M. *Ioakim* deficit à *Nabucodonosore* fretùs spe
auxilii, ab *Ægyptiis* accipiendi: unde *Na-*
357 - 3433 *bucodonosôr Solymam* obsidet.

Admissus fallit fidem occiso Rege, cui substi-
tuit Filium *Ioachinum*, qui tamen mox de-
357 - 3436 nuò exauthoratur.
378

Ioachinus abstrahitur *Babylonem* cum decem
exulum millibus: *Sedecias* Patruus Regno
sufficitur; impietati servit. *Ieremias* de-
378 - 3436 nuntiat captivitatem 70. annorum.
Annus transmigrationis primus.

372 - 3438 Historia *Susannæ.*

378 - 3439 *Ieremiæ* funesta vaticinia.

381 - 3440 *Ezechielis* visiones infaustæ.
& 41.

358 - 3443 Deficit *Sedecias* reclamante *Ezechiele.*
379

Nabucodonosor obsidet *Ierosolymam*; obsidio-
nem solvit *Ægyptiis* advenientibus; mox
358 - 3444 eandem renovat.
379

373 - 3445. Ad extrema deducitur *Ierosolyma.*

Capitur: *Sedecias* Rex è fuga retrahitur; occisis
358. - 3446 Filiis excæcatur.
379. -

Desolatio Regni Iudaici: annus transmigrationis 12. Desolationis primus. * *Captivitas Babylonica.*
359 - 3447.
380. -
393. -

Clades *Ierosolymæ*, Templi devastatio per
Nabuzardan: Rex in cavea *Babylonem*
abducitur cum Regni flore: *Ieremias* Arcam
abscondit: *Godolias Iudææ* desertæ præfi-
citur; ab *Ismaële* occiditur: *Iohanan* cum
Ieremia invito, fugit in *Ægyptum.*

* An 70. annorum captivitas ab hoc initio nu-
meranda? *Vide Coll. Hist.*

	A.M.	Pag.
Iudæi impiè vivunt in *Ægypto* : *Ieremiam* lapidibus obruunt.	3448	380.
Moritur *Sedecias* in vinculis.	3449	359. 381.
Daniel explicat ſomnium de ſtatua myſtica, elevatur à Rege.	3453	384.
Socii *Danielis*, adorare ſtatuam auream recuſantes, mittuntur in fornacem ignitam.	3455	385.
Salathiel Babylone naſcitur anno *Joachini* Patris 44.	3461.	-
Ezechiel Babylone à ſuis occiditur.	3462	381.
Daniel explicat ſomnium myſticæ arboris.	3463	386.
Rex *Nabucodonoſor* induit beſtiam.	3464	387.
Reſtituitur, adnitente maximè *Daniele*.	3471	387.
Daniel, Evilmerodacho charus, detegit fraudem Sacerdotum *Belis*; draconem interficit; in lacum leonum demittitur; paſcitur ab *Habacuc*; liberatur	3473	387.
Moritur *Joachinus Babylone* anno ætatis 59.	3476.	-
Viſio *Danielis* de 4 ventis, totidémque beſtiis.	3495	390.
Ejus vaticinium de everſione Imperii *Perſarum*, crudelitate *Antiochi Epiphanis*.	3497	390.
Oritur *Zorobabel*.	3498.	-
Annus ultimus deſolationis: *Balthaſar* viſione, mox *Daniele* interprete turbatur: *Babylon* capitur; Rex occiditur; Urbs cædibus vaſtatur; *Daniel* cedit in ſpolium *Dario*, honoratur, ſed mox in lacum leonum miſſus evadit incolumis: prænuntiat 70. myſterioſas hebdomades de Adventu *Chriſti*.	3500. *Annus transmigrationis* 81. *Deſolationis* 70. 3516	390.

§. VI.

Epocha ſive Ætas Mundi Sexta

Cyrus

Continens ſtatum Pontificum & Majorum à Captivitate ſoluta usque ad
Pag. - A.M. *Chriſtum Natum per annos*

537.

Solutio captivitatis.

CYri Imperium, ſolutio captivitatis, redi-
393 - 3517. tus Duce *Zorobabele*, & *Joſue* ſummo
400. - Pontifice.
401. -
401 - 3518. Prima Templi reſtauratio, impedita à *Samaritanis.* *
402 - 3524. *Cambyſes* querelis circumventus, vetat reſtaurationem Templi.

Darius

*

Chronologia de Templo Ex Saliano.

Cœpta prima Templi reſtauratio, ſed interioris ædificii tantùm, ſub *Cyro* anno non Regni, ſed Monarchiæ ſecundo, quo DEUS omnia Regna Terræ eidem dediſſe dicere poterat Eſd. 1. v. 2. Regni poſt devictum *Aſtiagem* 24. *A. M. 3518.*

Reaſſumpta ſub *Dario Hyſtaſpe* anno Regni ſecundo. *A. M. 3533.*

Poſtquàm ceſſâſſet ſub *Cyro Cambyſe*, *Smerde*, & an. primo *Darii*, per annos 15. complectur *Darii* Regis anno. 6to. poſt 10. vel 20. circiter annorum laborem. *A. M. 3537.*

	A.M. - Pag.
Darius Hystaspes votum facit in *Judæorum* favorem: *Zorobabel* ad eum proficiscitur.	3532 - 402.
Zorobabel in disputatione victor, decretum impetrat restaurandæ *Jerosolymæ.* -	3533 - 402.
	- 403.
Moritur *Daniel* natus an. 110. -	3535 - 393.
Templum *Zorobabelis* absolvitur sexto anno *Darii*, dedicatur. - -	Templum Zorobabelis. 3537 - 404
Mors *Zorobabelis*, & *Josue* Pontificis.	3567. -
Regina *Vasthi* repudiatur ab *Artaxerxe Longimano.* - -	3592 - 409.
Esdras, clarus sub *Longimano*, migrat *Jerosolymam* ad docendum Populum. -	3595 - 405.
Idem mores restituit: *Esther* elevatur in solium	3596 - 405.
Mardochæus detegit conspirationem Evnuchorum in Regem. - -	- 410. 3597 - 412.
Aman decernit perdere *Judæam* Gentem, offensus à *Mardochæo.* - -	3600. 3600 - 411.
Luctus *Mardochæi* ob decretum fatale: Reginæ preces: *Aman* Talionis pœna multatur. - - -	3601 - 311.
Vindicta *Judæorum* reciproca: Gloria *Estheris*, & *Mardochæi.* - -	& seq. 3602 - 413.
Initium hebdomatarum Danielis à 20. anno *Artaxerxis*: * *Nehemiæ* profectio *Jerosolymam*; Urbis & murorum restauratio; Dedicatio solemnis; Arcæ inventio; fœderis cum DEO renovatio. - -	3609 - 407.
Nehemias redit. - -	3621 - 408.
Nehemias denuò *Jerosolymam* migrat, Rempublicam ordinat, moritur.	3629 - 408.
Schisma *Samaritanum* opera *Sanaballi*, & *Manassis*, qui fuit frater *Jaddi* Pontificis.	3700. 3718. -

* *Initium Hebdomadarum Danielis à Jerosolymâ restaurata.* An non potiùs hoc initium ab anno 8 Regni sit inchoandum? *Vide Coll. Hist.*

construit in *Ægypto* permissu *Philometoris.* - - *A.M.* - *Pag.* -3889 - 431. - 433.

Judas profligat *Lysiam Syriæ* ProRegem; emundat Templum; ædificiis ac præsidio munit. 3890 - 432.

Antiochus à DEO percutitur; agnoscit culpam in *Iudæos* patratam, moritur: *Iudas* in *Galaaditide*, *Simon* in *Galilæa* rem bene gerit, dum intereà *Iosephus* & *Azarias* à *Gorgia* clade afficiuntur: *Iudas Gorgiam* vincit, *Timotheum*, *Lysiam* Angelorum ope triumphat; pacem init. - 3891 - 434. *& seq.*

Judas obsidet arcem *Sionis*; *Eupatoris* castra invadit; moritur *Eleazar*, *Iudæ* frater, elephanto oppressus: Rex *Eupator Solymam* subigit, mox exortis turbis, relicta Urbe, dat pacem *Judæis.* - - 3892 - 436. *& seq.*

Occiso *Eupatore Alcimus* à *Demetrio* licitatur Pontificatum; *Iudam* accusat, sed cum *Bacchide* à *Iuda* reprimitur: *Nicanor* vincitur, occiditur. - - 3893 - 437.

Inito fœdere cum *Romanis*, *Iudas* iterum vexatur à Rege *Demetrio*; per *Bacchidis* & *Alcimi* copias obruitur, trucidatur: *Ionathas* succedit; *Ioannis*, fratris à *Madabæis* occisi, mortem ulciscitur. - - 3894 - 438. - 439.

Alcimus, à DEO percussus, moritur: *Iudæa* biennium quiescit. - - 3895 - 439.

Bacchides acie fusus à *Ionatha*, pacem indulget. - - - 3897 - 439. 3900.

Ionathas Ierosolymam instaurat, *Alexandrum Balam* colit, & colitur. - 3902 - 440.

Ionathas Legatos mittit *Romam*, & ad *Spartia-*

440 - 3911. tiatas: *Iudæi* scribunt ad suos in *Ægyptum.*
Tryphon Proditor, amicitiæ specie, *Ionatham*
circumvenit, circumventum *Ptolemaide*
capit, & unà cum missis à *Simone* fratre
obsidibus trucidat: *Simon* transit ad *De-*
metrium, & plenam obtinet *Judæis* liber-
440 - 3912. tatem.
441. -
441 - 3913. *Simon* arcem *Sionis* recuperat post an. 27.
Antiochus Sidetes inimicitias restaurat, cujus
Ducem *Cendebeum Ioannes*, *Simonis* Filius,
441 - 3917. profligat.
& 18.
Simon à genero *Ptolomæo* cum duobus filiis
441 - 3919. proditoriè jugulatur.
Succedit *Joannes* Filius; obsidetur à *Sidete*
442 - 3920. *Jerosolymis*, pacem impetrat.
Joannes in bello *Parthico Sidetem* secutus,
442 - 3922. *Hyrcani* cognomentum adipiscitur.
443 - 3924. *Idumæa* subigitur ab *Hyrcano*.
Uti & *Samaria*, excisa urbe & Templo, per
\- 3940. annos 222. schismatico.
443 - 3950. *Hyrcanus* moritur.
Aristobolus Filius & successor, Matrem fame,
Regia digitas fratres ferro necat; mox & ipse sublatus
reasumpta. infami morbo; Regis titulum reassumpsit
443 - 3951. per quinque sæcula non ampliùs auditum.
Jannæus fratrem interimit, æmulum suspica-
444 - 3952. tus.
444 - 3953. *Jannæus Ptolemaidem* obsidet.
444 - 3954. Proditoriè agit cum *Lathuro*.
445 - 3955. A quo *Jannæus* vincitur.
445 - 3957. *Jannæus Gazam* ingenti perfidiâ vastat.
445 - 3958. In *Jerosolymam* sævit velut Tyrannus.
445 - 3960. Expeditionem infaustam parat in *Arabes*.
\- 3967. Sævit in *Pharisæos*.

Mori-

Moritur anno Pontificatûs 27. * - *3978 - 446.*

Jannæi uxor *Alexandra*, aliis *Salome*, succedit; *Hyrcano* constituto Pontifice; *Pharisæis* favet. - - *3979 - 450.*

Aristobolus, *Hyrcani* frater, Regnum occupat; Regina moritur. - - *3987 - 551.*

Aristobolus Hyrcanum adigit ad vitam privatam. - - *3988 - 451.*

Qui ex *Antipatri* consilio fugit, & ope *Aretæ*, Regis *Arabiæ*, restituitur, victo *Aristobulo*: sed hic recuperat Regnum ope *Scauri*. - - *3989 - 451.*

Pompejus Aristobulum, & *Jerosolymam* expugnat; Templum profanat; *Aristobolum* tenet in vinculis; *Romam* mittit; *Hyrcanum* Pontificem constituit; *Judæam Romanis* subjicit; muros vrbis evertit. - *3991 - 451.* *Regnum Judææ ad Romanos devolutum.*

4 Con.

Antipater Judæam, *Hyrcani* locò, favore *Gabinii* Proconsulis *Syriæ*, administrat. *3997 - 452.*

4000.

Crassus Templum deprædatur. - *4000 - 452.*

Aristobolus à *Cæsare* mittitur in *Judæam* liber, sed à *Pompejanis* occiditur unà cum Filio. *4005 - 453.*

Antipater filios Gubernationi adhibet: *Herodes* 27. annorum, latronibus purgat Provinciam. ** - - *4008 - 453.*

Antipater veneno tollitur à *Malicho*, qui mox & ipse ab *Herode* occiditur. - *- 454.* *4011 - 453.*

Antigonus, Filius *Aristobuli*, ad *Parthos* profugus, Rex constituitur, sed *Herodes* favore M. *Antonii* Rex *Romæ* declaratur, *Antigonum* oppugnat. *** - - *4014 - 454.*

Herodes Ierosolymam obsidet; ducit conjugem

* Ita *Salianus*, quem sequimur, dissentientibus Rudimentis Historicis.

** An gubernationi admotus sit anno ætatis 15. vel 25. aut 27? *Vide Coll. Hist.*

*** Quot annos regnârit? *Vide Coll. Hist.*

455 - 4016. gem *Mariamnem*: naſcitur B. *Anna*.
456. -

Jeroſolyma expugnatur ab *Herode*: Antigonus
Sceptrum ablatum à Juda. ſecuri percutitur, ſicque *Machabæorum* familia poſt A. 130. extincta, ſceptrúmque à
455 - 4017. *Juda* ablatum eſt*
& 456. -
4. Con. *Hyrcanus* exul in Patriam reducitur: *Ananelus* fit Pontifex, vel ſaltem *Ariſtobuli* Ju-
4018. nioris vicarius.
456 - & 19. *Alexandra* cum Filio *Ariſtobulo* fugam mo-
457. 4020. litur ad *Cleopatram*.
Herodes Ariſtobulum aquis ſubmergi jubet: accuſatus apud *Antonium* muneribus vexam
457 - 4021. redimit; *Alexandram* in carceres detrudit.
458. 4022. *Herodes* bellum in *Arabes* gerit, vincit.
& 23. *Herodes* aditurus *Cæſarem*, *Hyrcanum* necat, *Alexandram* & *Mariamnem* in vincula con-
458 - 4024. jicit; *Cæſaris* favores lucratur.
Herodes Mariamnem calumniis circumventam
459 - 4025. interficit, uti & *Alexandram* ſocrum.
459 - 4028. Hinc actus in rabiem furit cædibus.
Ædificiis, Templis Auguſti favores aucu-
4029. patur.
459. & 30.
460. -
460 - 4032. Ludos inſtituit.
460 - 4035. Templum *Jeroſolymæ* inſtaurat.
460 - 4036. *Romam* duos Filios ex *Mariamne* mittit.
18 Con. 4036 Naſcitur B. Virgo in *Nazareth*.
19 Con. 4041 Præſentatur in Templo.
- 4042. *Herodes* Romam profectus Filios reducit.
Calumniæ in eosdem ſtruuntur à *Salome*, *Herodis* Sorore, quibus nihilominùs dat
461 - 4043. uxores.

Hero-

* Quo tempore ſceptrum à *Juda* ablatum ſit? an tempore *Nabucodonoſoris* M? an tempore *Herodis*? *Vide Coll. Hiſt.*

	A. M. - Pag.
Herodes evehit Antipatrum, mittítque *Romam*.	4044 - 462.
Herodis sua cum Filiis dissidia defert ad *Cæsarem*, quos *Augustus* Patri conciliat.	4046 - 461.
Herodes ob nova cum Filiis dissidia *Cæsarem* appellat, eósque judicio damnari curat, & mox per novam calumniam occidit.	4050 - 461.
Antipater parari curat *Herodi* venenum, sed proditur: *Joannis Baptistæ* ortus *Zachariæ* annuntiatur: B. Virgo desponsatur. -	4051 - 462.
Antipater Româ redux in vincula conjicitur;	- 19 Con.
seditio oritur in *Herodem* ob Aquilam auream; *Mathathiæ* Pontificatus adimitur; visitatur à B. V. Cognata *Elisabeth*; oritur Præcursor; nascitur *Christus* 25. Dec. *	4052 - 463.

Epocha seu Ætas septima.
CHRISTUS
Sive
Status Regni Judaici sub Romanis usque ad eversionem Regni per annos 70.

Circumcisio *Christi*;** adoratio facta à Magis; præsentatio in Templo; secessus in *Ægyptum*; Innocentum cædes; *Herodis* ultima tyrannis in *Judææ* Nobiles, filium *Antipatrum*; ejus mors: *** *Archelaus* Rex proclamatur, *Romam* adit cum suis. A. C. 1. - - 4053. 463.

Regni 20 Con.

* An hæc epocha Mundi aliis sit præferenda? an verosimilior? an non commodior 4000 rotundè? *Vide Coll. Hist.*

** Quænam æra *Christi* vera, quænam vulgaris?

*** In quem annum incidat *Herdis* mors?

Regni Judaici divisio in filios Herodis M. 465 - 4054. Regni Divisio, ab *Augusto* facta in *Herodis* Filios: * *Judæi* seditione ad duo millia crucifiguntur à *Varo*: incipit *Æra* Christi vulgaris ** A. C. 2.

20 Con. 4055 *Christi* reditus ex *Ægypto*. A. C. 3.

- 4061. *Archelaus Romæ* accusatus, accersitur ab *Augusto*: A. C. 9.

7 Con. 4062. In exilium mittitur. A. C. 10.

- 4063. Seditio à *Juda Galilæo* excitatur, qui author extitit Sectæ *Galilæorum*, omne Dominium respuentium A. C. 11.

- 4064. Peregrinatio *Christi* ad *Jerosolymæ* Templum A. C. 12.

- 4065. Mors *S. Josephi* juxta *Salianum*. A. C. 13.

466 - 4071. *Caiphas* Pontifex creatur: *Herodes Antipas Tiberiadem* condit in honorem *Tiberii*. A. C. 19.

7 Con. 4079. *Pilatus* mittitur in *Judæam* Procurator: fit Tumultus ob signa *Cæsaris*, à *Pilato Jerosolymam* inducta. A. C. 27.

467 - 4080. *Herodes* accipit fratris uxorem *Herodiadem*, repudiata uxore propria. A. C. 28.

21 Con. 4082 Incipit munus Apostolicum *Joannes* Præcursor. A. C. 30.

21 Con. 4083. *Christus* baptizatur, anno ætatis trigesimo primo inchoato; *** secedit in desertum; primo miraculo in nuptiis *Canæ* clarescit, incipitque annum prædicationis suæ primum. A. C. 31.

22 Con.

Anno

* Quo anno incipiat Regimen *Archelai*? *Vide Coll. Hist.*

** An quadriennio solido, vel unico tantùm anno præcurrat æram *Christi* veram? *Vide Coll. Hist.*

*** Intellige juxta *Cornelium à lapide*. Unde quæstio oritur: an ætatis 30. vel 31. sit baptizatus è probabiliore Chronologorum calculo? *Vide Coll. Hist.*

Anno secundo Prædicationis *Ioannes* interficitur ab *Herode*. A.C.32. - *A.M. - Pag.* 4084 - 467. 23 Con.

Annus tertius prædicationis *Christi*. A.C.33. 4085 24Con. 28 Con.

Annus *Christi* ultimus; *Lazari* suscitatio; Eucharistiæ sanctissimæ institutio; Passio, Mors, Resurrectio, Ascensio, Adventus S. Spiritûs; Apostolorum fervor in disseminanda Evangelii semente; Constitutio septem Diaconorum; *Iacobi* primus Episcopatus. A.C. 34. - - 4086 - 467. - 31Con. - 32Con.

Rex *Aretas* ob repudium Filiæ, *Herodem* aggressus, ingenti clade afficit adulterum. A.C. 35. - - - 46Con. 4087-46Con.

Saulus convertitur. A. C. 36. - 4088-47Con.

Vocatio Gentium. A. C. 37. 4089-47Con.

Pilatus in exilium ejectus: *Annas*, & *Caiphas* rapti ad tartara. A.C. 38. 4090-47Con.

Herodes Agrippa à *Caligula*, rerum potito, liberatur è carcere; *Trachonitide*, & Regio titulo donatur, ac in *Palæstinam* remittitur. A. C. 39. - 4091-47Con.

Herodes Antipas Romam concedit; suspectus de proditione, cum *Herodiade* in exilium relegatur *Lugdunum*; *Galilæa* donatur *Agrippæ*. A.C. 40. - - 4092. -

Is ipse iram *Cæsaris* avertit, ob statuam in Templo collocandam A. C. 42. 4094 - 470.

Agrippa à *Claudio* Imperatore confirmatur: Rex *Abagarus* per *Thadæum* convertitur A. C. 43. - - 4095. -

Agrippa Iacobum Majorem Apostolum occidit, *Petrum* in vincula conjicit A. C. 44. 4096. -

D. Petrus Romæ fundamenta Ecclesiæ ponit: *Herodes Agrippa*, ulciscente DEO, ob super-

Pag. - A.M. perbiam percussus ab Angelo, à vermibus
- 4097. consumptus perit A.C. 45.
Cuspius Fadus Iudææ, *Romanæ* Provinciæ Prætor, designatur, *Herode Chalcidis* & *Agrippa* II. Religionem potiùs, quàm Regnum administrantibus. *Sergius Paulus* Proconsul à D. *Paulo* convertitur:
48 Con. 4098 *Theodas* à *Fado* cum suis occiditur. A.C. 46.
Fado submissus *Alexander Tiberius*, *Galilææ*
- 4199. sectæ fautores domat. A.C 47.
Paulus Lystris, *Mercurii* instar à plebe coli-
- 4100. tur. A.C. 48.
Cumanus successor tumultum *Ierosolymis*, à
49 Con. 4101 scurra milite excitatum, supprimit A.C. 49.
Samaritanorum, & *Judæorum* cruentæ lites, *Cumano* venalem Justitiam administrante: Primum *Ierosolymis* à D. *Petro* celebratum
- 4103. Concilium. A.C. 51.
Felix Cumano substitutus, frustrà extirpare nititur grassatores *Iudææ* publicos: *Ionatham* Sacerdotem summum interficit: *Drusillam*, *Agrippæ* II. Sororem, sibi despondet: D. *Paulus* intereà convertit *Dio-*
50 Con. 4104 *nysium Areopagitam*. A.C. 52.
Varia D. *Pauli* itinera, & labores; Is ipse
55. 4107. *Ephesi* objicitur bestiis. A.C. 55. & 56.
55 & 56. & 8. D. *Paulus* ad *Felicem* missus *Cæsaream*, apostolicâ eundem suadâ percellit: hoc ipso anno moritur Beatissima Virgo, ætatis 72.
51 Con. 4110. A.C. 58.
D. *Paulus Romæ* vinctus appellitur: *Festus*
- 4111. succedit *Felici* in *Iudææ* Prætura. A.C. 59.
Defuncto *Festó* submissus *Româ Albinus Iudææ* Prætor, frustrà conatur exstirpare grassatores publicos: crucifigitur in *Achaia* D.
- 4113. *Andreas*. A.C. 62.
Absolutâ Templi fabricâ *Florus* venit in *Judæam*

dæam eámque tyrannide vexare incipit. A. C. 64. - *A. M.* - *Pag.* - 4116 - 53 *Con.*

Quidam *Jesus* Urbi excidium prænuntiat: *Florus* avaritiâ, injustitiâ, & expilato thesauro sacro *Iudæos* exasperat. A. C. 65. 4117 - 54 *Con.*

Florus tyrannide sua Populum ad seditionem concitat: *Agrippa* eam sedaturus urbe ejicitur: *Eleazarus* cum Zelotis in Urbe *Solymâ*; *Manainus* quidam foris omnia turbat seditiosis tumultibus: *Florus*, *Cæsareæ* occisis viginti *Judæorum* millibus, per varias *Judææ* seditiones & ipse tandem occiditur: *Cestius*, *Syriæ* Prætor, *Galilæam* vastat, *Jerosolymam* obsidet, mox tamen solvit obsidionem, nec sine clade revertitur. A. C. 66. 4118 - 57 *Con.* & *seq.*

Vespasianus *Jotapatam* obsidet, aliáque subigit *Galilææ* munimenta. A. C. 67. - 4119 - 61 *Con* & *seq.*

Horrenda instantis excidii portenta *Jerosolymam* terrent; Zelotæ, *Eleazarus* & *Joannes*, intestinis dissidiis lacerant; civili bello accitisque *Jdumæis* vastant, quibus malis accessit tertium flagellum *Simon*, qui & ipse in urbem receptus, pari furore in eam desævîit. A. C. 68. - 4120 - 54 *Con.* 65. *Con.* 66. *Con.* & *seq.*

Vespasianus *Jerosolymæ* imminet, sed avocatur *Neronis* morte, & *Tito* obsidionem committit. A. C. 69. - 4121 - 69 *Con.*

Titus urbem, miserè in se divisam, obsidione cingit, *Ioanne* *Eleazarum* oppugnante in Templo; duos muros diruit, denique tertium, cum arce *Antonia*, postquàm totam urbem ingenti muro circùm vallâsset: tandem rejecta sæpiùs pace à Zelotis, civibus peste, cædibus, Zelotarum tyrannide con-

Pag. A. M. ſumptis, Templum exterius ab hoſte occupatur, interius ſuccenditur; urbs inferior, dein quoque ſuperior capitur, Vulcano traditur, & unà cum Regno evertitur. A. C.
70. Con. 4122 & ſeq. 70. - - -

TABULÆ CHRONOLOGICÆ

Ad uſum

Gymnaſticæ Juventutis,

Quæ uno veluti obtutu

Seriem Patriarcharum, Judicum, Regum, Pontificum, mutationes Regni Judaici & fata Hiſtoriæ Sacræ præcipua exhibent.

Epocha ſive ætas Mundi prima.

Patriarchæ ante Diluvium.

Patriarchæ ante Diluvium.	*Nativ.*	*Anni vitæ.*	*Mortis.*	*Fata & mutationes præcipuæ.*	
Adam	Die 6.	930.	930.	*Adam* ejicitur è Paradiſo. -	Die 13.
Seth	131.	912.	1042.		
Enos	236.	905.	1140.		Anno
Cainan I.	326.	910.	1235.	*Abel* occiditur. -	130.
Malalaël	396.	895.	1290.	*Henoch* transfertur.	987.
Jared	461.	962.	1422.	Diluvium ingruit.	1656.
Henoch	623.			Durat per annum & dies 10.	
Mathuſalem	688.	969.	1656.		
Lamech	875.	777.	1651.		
Noë	1057.	950.	2006.		
Sem	1559.	600.	2158.		

Epo-

Epocha ſive ætas Mundi ſecunda.

Patriarchæ poſt Diluvium.

Patriarchæ poſt Diluvium.	*Nativ.*	*Vitæ.*	*Mortis.*	*Fata & mutationes præcipuæ.*	
Arphaxad	1659.	438.	2096.	Diviſio terrarum fa-	
Cainan II.	1694.	360.	2053.	cta à *Noë.* -	1788.
Sale	1724.	433.	2156.	Ortus Idololatriæ. -	1850.
Heber	1754.	464.	2217.	Diviſio linguarum	
Phaleg	1788.	239.	2026.	ad turrim *Babel.*	1931.
Reu	1818.	239.	2056.	Monarchia 1. à *Nem-*	
Sarug	1850.	230.	2079.	*rodo* cœpta. -	1932.
Nachor	1880.	148.	2027.		
Thare	1909.	205.	2113.		

Epocha ſive ætas Mundi tertia.

Patriarchæ poſt Gentium diſperſionem.

Patriarchæ poſt Gentium diſperſionem.	*Annus Nat.*	*Vitæ.*	*Mortis.*	*Fata & mutationes præcipuæ.*	
				Fœdus DEI cum	
Abraham	2039.	175.	2213.	*Abraham* per cir-	
Iſaac	2139.	180.	2318.	cumciſionem. -	2138.
Jacob	2199.	147.	2345.	Sacrificium *Iſaaci.*	2163.
Joſeph	2289.	110.	2399.	Ingreſſus *Iſraëlita-*	
Levi	2285.	137.	2421.	*rum* in *Ægyptum.*	2329.
Caath	2318.	133.	2450.	*Iobi* certamina.	2398.
Amram	2386.	137.	2522.	Servitus cœpta. -	2451.
Aaron	2461.	122.	2583.		

Epocha ſive ætas Mundi quarta.

Judices Hebræi.

Judices	*Annus Nat.*	*Regim.*	*Vitæ.*	*Usque ad annum.*	*Fata & mutationes præcipuæ.*
Moyſes	2464.	40.	120.	2584.	Exitus ex *Ægypto* poſt
Joſue	2491.	17.	110.	2600.	moram annorum
Othoniel	2540.	40.	100.	2640.	215. Lex data A. M.
Aod		80.		2720.	2544.
Debbora		40.		2760.	Regimen Ariſtocrati-
Gedeon		40.		2800.	cum per Seniores
Abimelech		3.		2803.	cœptum eodem año.
Thola		23.		2826.	ingreſſus in Terram
Jair		22.		2848.	promiſſionis A. M.
Jephte		6.		2854.	2584.
Abeſan		7.		2861.	Terræ ſanctæ diviſio
Aialon		10.		2871.	A. M. 2590.
Abdon		8.		2879.	
Samſon	2861.	20.	78.	2899.	
Heli	2842.	40.	97.	2939.	Mors.
Samuel	2901.	22.	76.	2962.	1977.

Epocha ſive ætas Mundi quinta.

Reges Hebræi.

Reges.	*Annus Regni.*	*Uſque ad annum.*	*Vitæ.*
Saul -	17. -	2979.	
David -	40. -	3019. -	70.
Salomon -	40. -	3059. -	60.
Reges Juda.			
Roboam -	17. -	3076.	57.
Abias -	3. -	3079.	
Aſa -	41. -	3120.	
Joſaphat -	25. -	3145. -	60.
Joram -	4. -	3150.	
Ochozias -	1. -	3151.	
Athalia - -	6. -	3157.	
Joas -	39. -	3196.	
Amaſias -	29. -	3225.	
Ozias -	52. -	3277. -	68.
Joathan -	16. -	3293.	
Achaz -	15. -	3308.	
Ezechias -	29. -	3337. -	54.
Manaſſe -	54. -	3392.	
Amon -	2. -	3394.	
Joſias -	31. -	3425.	
Joachaz -	3. menſes -	3425.	
Joakim -	11. -	3436.	
Jechonias -	3. menſes -	3437.	
Sedecias -	10. -	3446.	

Reges.	Annus Regni.	Usque ad Annum.	Fata.
Israël.			
Ieroboam	21.	3081.	Duratio Regni Judæ
Nadab	1.	3082.	484. annos, excisum
Baasa	23.	3105.	A. M. 3447.
Ela	1.	3106.	Duratio Regni *Israëli-*
Zamri		3106.	*tici* 255. annos, ex-
Amri	11.	3117.	cisum A. M. 3314.
Achab	22.	3138.	Ariostraticum regimen
Ochozias	1.	3139.	mutatum in Monar-
Joram	12.	3151.	chicum A. M. 2962.
Jehu	28.	3178.	Templum dedicatum
Joachaz	16.	3195.	A. M. 3030.
Joas	16.	3211.	Excisum anno 3447.
JeroboamII.	41.	3251.	postquàm stetit A.
Interregenum	11.	3262.	417.
Zacharias	6. menses	3262.	Dvisio Regni anno
Sellum	1. menses	3262.	3060. *Idithæ* Histo-
Manahen	10.	3274.	ria A. M. 3346.
Phacejas	2.	3277.	Captivitatis *Babylonicæ*
Phacée	20.	3296.	duratio A. 70. Ini-
Oseas	18.	3314.	tium A. M. 3446
			Finis A. 1516.



Epo-

Epocha ſive ætas Mundi ſexta.

Duces, & Pontifices Hebræi.

Duces & Pontifices.	*Anni regim.*	*Uſque ad annum.*	*Fata & mutationes præcipuæ.*
Zorobabel	51.	3567.	* Initium Monarchiæ *Per-*
Joacim	22.	3589.	*ſicæ* ſub *Cyro*. Mutatio
Eliaſib	6.	3595.	regiminis *Iudaici* in
Esdras	5.	3600.	ſpeciem mixtam ſub
Nehemias	29.	3629.	Ducibus tributariis
Joiadas	20.	3649.	A.M. 3567.
Jonathan	40.	3689.	Dedicatio Templi ſe-
Jaddus	41.	3730.	cundi *Zorobabelis*.
Onias I.	24.	3753.	A.M. 3537.
Simon I.	12.	3765.	InitiumHebdomadarum
Eleazar	32.	3797.	70. *Danielis*, & *Hie-*
Manaſſes	10.	3807.	*roſolyma* reſtaurata.
Onias II.	14.	3821.	A. M. 3609.
Simon II.	25.	3846.	Initium Monarchiæ *Græ-*
Onias III.	36.	3882.	*corum* A. M. 3724.
Interregnum	5.	3887.	

* Ex Saliano, qui ſubin numerat annos inchoatos, ſubin completos.

Duces & Pontifices.	*Anni Regni.*	*Usque ad Annum.*
Machabæi.		
Mathatias	1.	3888.
Judas	6.	3894.
Jonathas	18.	3912.
Simon	8.	3919.
Joan. Hyrcanus I.	31.	3950.
Ariſtobulus I.	1.	3951.
Alexander Jannæus *	27.	3978.
Hyrcanus II.	19.	3988.
Ariſtobulus II.	3.	3991.
Hyrcanus II. reſtitutus	23.	4014.
Antigonus ſuffectus	2.	4016.
Herodiani		
Herodes Rex		
A capta *Solyma*	37.	4053.
Archelaus Ethnarcha	9.	4062.
Antipas	30.	4092.
Herodes Agrippa I.	5.	4097.
Herodes Agrippa II.	20.	4117.

Fata & mutationes præcipuæ.

Regia dignitas reaſſumpta poſt quinque ſæcula A M. 3951.

SeparatioPontificatûs *Alexandrâ* Reginam agente A. M. 3979.

Mutatio Regiminis, Regno ad *Romanos* devoluto A.M.3991.

Initium Monarchiæ *Romanæ* ſub Julio *Cæſare* A. M. 4006.

Sceptrum ablatum ab *Iuda*, *Herode*, *Romæ* beneficiario, Regnum occupante, A. M. 4017.

Nativitas *Chriſti* A.M. 4052.

Regni diviſio in Filios *Herodis M.* A.M. 4054.

Excidium Urbis & Regni *Ieroſolymitani* A. *Chriſti* 70. A. M. 4122.

* Ita *Salianus*, quem ſequimur.

INSTRU-

INSTRUCTIO III.

Genealogica.

Pro faciliore Notitia Historiæ Sacræ.

Genealogia quid?

MElander. Quid Genealogia?

Leucotheus. Genealogia in genere est *Stemmatis descripta series*, & hic pro notitia sumitur, quæ illustrium familiarum originem, & continuatam seriem, per stirpes magis memorabiles, ponit ob oculos, ad faciliùs intelligendam Historiam, Juventuti præcipuè necessariam: quo sensu Historiæ fulcrum, & adjumentum nobilissimum haud immeritò appellatur.

Aliqua ejus notitia utilis.

Mel. An necessaria pro Historico studio, saltem Academico, Genealogiæ notitia?

Leuc. Aliqua, & ad captum faciliorem accommodata: quæ nempe, omissa ramorum multiplici perplexitate, lineas saltem rectas sic ponit ob oculos, ut uno quasi obtutu comprehendat illorum seriem, quos præ cæteris memorabiles Historia priùs proposuit, ac commendavit.

Observanda in genere Quæ?

Mel. Quæ in genere notanda circa Genealogiam principia?

Leuc. Primò Familias dividi in lineas *ascendentes*, ubi Pater & Mater, Avus, Atavus, Majores. 2. In *descendentes*, ubi Filius, Filia, Nepotes, Posteri. 3. In *laterales*, ubi cognati, & consanguinei. 4. ab Historia Sacra lineas dividi in *naturales*, & *legales*: à *Romana* in *Patricias*, & *plebeias*: ab hodierna in *Imperatorias*, *Regias*, *Ducales* &c.

5. Originem plerumque esse obscuram, & fabulis proximam. 6. Frequenter distingui per cognomina, scuta gentilitia, signa &c.

Populi DEI studium Genealogium.


Mel. An Populo DEI Genealogiæ cura vel studium?

Leuc. Si ulli Nationi, maximum: nam ipso DEI consilio Populus hic in Tribus duodecim est divisus, & ut omnis vitaretur confusio cùm inter se, tum inter Idololatricas Gentes etiam in ipsa terræ promissæ divisione distinctus est, addito insuper mandato Legis, ut ne conjugali fœdere commiscerentur. 2. Quia Tribui *Judæ*, è semine *Davidis*, data *Messiæ* promissio: hinc cuivis penè Familiæ suæ erant Genealogicæ tabulæ, immò in ipso Templo distinctæ matriculæ asservabantur: sed injuriâ temporum per captivitatem *Babylonicam* destructa cum Templo fuêre hæc tabularia; permistæ sunt denuò Tribus, & quæ restauraverat *Esdras*, ab *Herode Vulcano* tradita sunt, ut ne superesset, qui ex *Davidica* stirpe Jus ad coronam posset prætendere. Hinc quæ afferunt Genealogici quidam compilatores, nugæ sunt, & teste Gentium Apostolo *fabulæ*, præter ea, quæ ex S. Scripturæ testimoniis, aliisque probatis Authoribus colliguntur.

Schema Genealogicum Primum.

Stemma Patriarcharum 22.

De Stemmate Patriarchali ante & Post Diluvium.



Cainan I.
Malalael
Jared.
Enoch 4.
Mathusalem 5.
Lamech.
Noe 6.

Japhet — Sem 7. — Cham 8.
Ascanes 9. — Arphaxad 10. — Nemrod 11.
Cainan Junior *
Sale 12.
Heber 13.
Phaleg
Regu
Sarug
Nahor
Thare

Aran — Nachor — Abram
Phatuel

14 Loth: 15 Sara: Melcha: Laban — 16 Ismaël : Isaac.
Moab. Ammon. — Rebecca

17 Esau — 18 Jacob
Jobab seu Job — Caath
Amram
Maria, Moyses, Aaron.

ANNO-

* *Quæres* : an *Cainan* Junior *Arphaxadum* inter & *Salam* sit interserendus? Dubium oritur ex eo, quòd *Hebræi* Codices, quos sequitur Vulgata, eundem omittant; contrà 70. Interpretes, quibus subscribit S. *Lucas*, eundem inter-

ANNOTATIONES.

1. VIxit annos 930. 2. Hic *Lamechus* polygamiam primus induxit, ex *Ada* generans *Jobal*, & *Jubal*: ex *Zilla Tubalcain*. 3. Vixit annos 912. plures filios habuisse *Adamum* colligitur ex *c.* 5. *Gen.* hi tamen tres solummodò nominantur. 4. Anno ætatis 365. raptus in Cœlum est. 5. Vixit annos 969. maximè longævus inter mortales. 6. Anno ætatis 500. matrimonio illigatus, adeóque ut ait *Hybnerus*, der ältiste junge Gesell inter Mortales: ante diluvium vixit annos 600. post diluvium 350. 7. à *Sem* provenire asserunt 406. Nationes *Asiæ*, quas inter *Judæi*, *Chaldæi*, *Syri*, *Persæ*, *Armeni*. A *Japheto* primogenito 200. *in Europa*, quas inter *Græci*, *Romani*, *Celtæ*, *Germani*, *Cimbri* &c. 8. à *Cham* 304. Nationes in *Africa* propagatas volunt, quas inter *Cananæi*, *Æthio-*

terserant. ℞. cum *Brietio* & aliis, interponendum esse, supplendúmque ex D. *Luca*, sicut 4. Reges in Genealogia *Christi*, à D. *Matthæo* omissi, supplentur ex libris Regum. *Ratio est*: Quia S. *Lucas* æquè est Scriptor Ecclesiasticus, ejusdem certitudinis, ac *Moyses*. Hinc qui asserere audent, *Cainam* non extare in Antiquis D. *Lucæ* exemplaribus, sunt decepti à *Beza*, *quasi humana fide dignus sit ille*, *qui ejuravit Divinam*, ùt ait *Brietius*. Ita plerique S. Scripturæ Interpretes: ùt adeò falsum sit; quòd scribit *Hederichius* in der Genealogischen Anleitung *fol. m.* 127. Es haben sich zwar vill gelehrte Leith bemihet / solche differenz zuvergleichen / jedoch zur Zeit es nicht zulänglich præstieren können.

thiopes, *Ægyptii*, *Numidii* &c. *9.* Hunc dicunt Authorem Gentis *Teutonicæ*. *10.* Hujus Frater *Assur* Monarchiæ *Assyricæ* Author creditur. *11.* Primus Tyrannus, & Rex A. M. 1718. *12.* *Moyses Gen. 11. v. 12. Arphaxado* Filium *Sale* adstruit: sed ex D. Luca *c. 3. v. 35. & 36.* supplendus est *Cainan* ùt dictum. *13.* Ab hoc *Hebræi* falsò suum nomen deducunt, cùm ab *Abrahamo* proveniat, qui primus dictus *Hebræus*, hoc est, *Transfluviatilis*, ùt alibi dictum. *14.* Est Protoparens *Moabitarum*, & *Ammonitarum. Gen. 19. v. 37. 38.* *15.* Uxor *Abrahami.* *16.* Hujus posteri sunt *Ismaëlitæ. Gen. 25. v. 12. & seq.* *17.* dicitur etiam *Edom* unde *Edomitæ. Gen. 36. v. 1. 9.* *18.* duxit uxores quatuor; prima *Lia*; ex hac *Ruben* 2. *Simeon* 3. *Levi.* 4. *Juda.* 5. *Isachar*, 6. *Zabulon* adde *Dinam*. Ex *Zelpha.* 7. *Dan.* 8. *Nephtali.* Ex *Bala* 9. *Gad*: 10. *Aser.* Ex *Rachel.* 11. *Joseph.* 12. *Benjamin.* Ex *Josepho* geniti *Manasse*, & *Ephraim.*

Schema Genealogicum secundum.

De Stemmate Judicum.

Stemma Judicum 16. E 12. Tribubus: universim 22. si Tyrannos adnumeres.

1.
E Tribu Levi
1
Amram
Moyses Aaron

2.
E Tribu. Ephraim
1
Nun.
Josue

3.
E Juda

4.
E Benjamin.

1. Ken-

Kennas	Gera
Othoniel 1.	Achod 2.
5.	6.
E Nephtali	E Manaſſe
Barac, Debbora 3.	Gedeon 4.
7.	8.
E Manaſſe	Ex Iſachar
Abimelech 5.	Thola
9.	10.
E Juda	E Manaſſe
Jair	Jephte 6.
11.	12.
E Juda	E Zabulon
Abeſan	Ahialon
13.	14.
Ex Ephraim	E Dan
Abdon	Samſon 7.
15.	16.
E Levi	E Levi
Heli 8.	Helcana
	Samuel.

ANNOTATIONES.

1. Huic *Othonieli* præceſſit *Cuſan*, Rex *Meſopotamiæ*, primus tyrannus, qui ſervitute prima octo annorum Populum non tam judicavit, quàm oppreſſit. 2. Huic præceſſit *Eglon* Rex *Moabitarum*, *Secundus Tyrannus*, qui *ſecunda ſervitute* annorum octodecim *Judæos* afflixit. 3. Huic *Debboræ* præceſſit *Jabin*, Rex *Canaan*, *tertius Tyrannus*, qui *tertia ſervitute* annorum viginti Gen-

Gentem DEO perfidam castigavit. 4. Huic præcessêre *Madianitæ*, qui velut quartus *Tyrannus* servitute quarta septem annorum oppressêre *Judæos*. 5. Hic *Abimelech*, tyranno neutiquam melior, septuaginta fratres, super lapidem unum, occidit: post triennale regimen occisus per lapidem à fœmina projectum. 6. Huic præcessêre *Philistæi*, & *Ammonitæ*, qui velut *quintus Tyrannus*, servitute quinta annorum octodecim dominati sunt *Judæis*. 7. *Samsoni* præcessêre *Philistæi*, velut sextus *Tyrannus*, qui servitute sexta annorum propemodùm quadraginta *Judaicam* Gentem oppresserant. 8. *Heli* jam præcesserat *Samsonem* in regimine, sed durante *Philistæorum* servitute Judex, nisi nomine tenus, dicendus non fuit: hic ipse *Heli* mortuo *Samsoni* rursus successit: quibus sedecim Judicibus si addas sex Tyrannos, conficient Judices universim viginti duos, totidem nempe, quot Patriarchæ præcessêre.

Schema Genealogicum Tertium.

Stemma Regum universim 22. super Thronum Juda. Ante Divisionem.

De Stemmate Regum Juda & Israël.

Domus Saul.

Abiel
Ex Tribu Benjamin

Cis — Ner

I. Saul — Abner

Jonathas. Michol

Domus

Domus David.

Isai vel *Jesse*
Ex Domo *Juda.*

II. David
Ammon: Absolon, Adonia: Salomon: Nathan;

Post Divisionem Reges Israël universim 19.

Stemma *Regum Juda.*

III. Salomon
IV. Roboam 1.
V. Abia 4.
VI. Asa
VII. Josaphat
VIII. Joram Athalia
IX. Ochozias
X. Joas.
XI. Amasias
XII. Ozias
XIII. Joathan
XIV. Achaz
XV. Ezechias * 6.
XVI. Manasse
XVII. Ammon
XVIII. Josias
XIX. Sellum XX. Joakim
XXII. Sedezias 7.
Fratres
XXI. Jechonias Filius Joakim.

Stemma *Regum Israël*

Nebat
I. Jeroboam 2.
II. Nadab 3.
*
III. Baësa 5.
IV. Ella
*
V. Zamri
*
VI. Amri
VII. Achab: Athalia
VIII. Ochozias IX. Joram *
X. Jehu
XI. Joachas
XII. Joas
XIII. Jeroboam II.
XIV. Zacharias
*
XV. Sellum
*
XVI. Manahen
XVII. Phacéia
*
XVIII. Phacée
*
XIX. Ozea.

ANNO-


ANNOTATIONES.

1. REx *Jerosolymis* separatus. 2. Rex *Samariæ.* 3. Reges *Israël* fuêre novemdecim, è quibus nullus omninò dicitur esse salvus. 4. E Regibus *Juda* reprobatus *Saul*, electus *David:* inter reliquos viginti non nisi octo tulêre laudem pietatis à S. Codice * 5. Inter Reges *Israël* successio genealogica octies interrupta, quam interruptionem denotant Asterisci. 6. Cùm *Achaz* mortuus sit anno ætatis 36. uti habetur 4. *Regum* 16. *v.* 2. & *Ezechias* eidem successerit anno ætatis 25. uti rursus habetur. 4. *Reg.* 18. *v.* 2. sequitur, quòd *Achaz Ezechiam* genuerit anno ætatis 11. vel 12. quod, qui sustinent, cum D. *Hieronymo*, *Saliano*, *Brietio* & aliis, ajunt, malitiâ suppletam ætatem, sicut eodem D. *Hieronymo* teste, fœmina à decenni parvulo concepisse etiam alibi legitur, ut plura exem-

* *Quares:* quomodo laus ista intelligenda sit, cùm Ecclesi. 49. *v.* 5. dicatur: *Præter David, & Ezechiam & Josiam omnes peccatum commiserunt?* ℟. cùm 3. Reg. 15. *v.* 11. 4. *Reg.* 12. *v.* 2. & alibî etiam de aliis *Asa*, *Josaphato*, *Joa*, *Amasia*, *Azaria*, & *Jonathæ* legamus, *fecisse rectum in conspectu Domini:* dicendum est, hos fuisse *bonos* quidem, sed non *Zelosos* in cultu religionis; cùm eorum elogio non addatur: *Excelsa non abstulerunt* 3. *Reg.* 22. *v.* 44. & alibi: id quod tamen de tribus prioribus legimus. 4. *Reg.* 18. *v.* 4. & 23. *v.* 8. Item 3. *Regum* 3. *v.* 3. *Dices:* etiam *Asa* & *Josaphatus* abstulêre excelsa; ergo. A: patet *Paral.* 2. *c.* 14. *v.* 5. ℟. dist. antec: abstulerunt aliqua conc. omnia neg. posterius patet 3. *Reg.* 15. *v.* 14. & 3. *Reg.* 22. *v.* 44.

pla omittantur. 2. Refundunt in salacissimam *Achazi* naturam, cujus uti fœcunditas fuit præpropera, ita & mors fuerat præmatura, anno scilicet ætatis 36. 3. Alii cum *Saliano* adscribunt Divinæ potentiæ providè partum Regis optimi, & Reipublicæ tam necessarii maturanti: alii connaturaliùs explicant per annos completos, quos subin negligit, vel exprimit S. Scriptura: unde sequitur *Achazum* anno ætatis 14. factum Patrem; uti ostendimus *in Quæst. Colleg.* Errat ergo *Hybnerus*, dum in quæstionibus genealogicis *Ezechiā* non nisi Filium adoptivū insinuat, vel consanguinitate *Achazo* proximū, qui cùm successerit eidē in solio, Filius latiore Scripturæ vocabulo appelletur. 7. *Sedecias Josiæ* Filius dicitur *Jer. 37. v. 1.* Jechoniæ Patruus, *2. Parall. 36. v. 10.* non frater, ùt vult *Hybnerus*. Hinc cum *1. Parall. 3. v. 16.* legamus: *De Joackim natus est Iechonias, & Sedecias*, dicendum; hunc *Sedeciam* vel à priore distinctum, ùt colligitur ex *v. 15.* loci citati, vel positum *Iechoniæ* fratrem, aut Filium, *latiore Scripturæ sensu*, quia nempe post *Iechoniam*, nepotem ex Fratre, primùm elevatus fuit in solium.

Error Hybneri in Q. Q. General. fol. 13.



Schema

ARBOR GENEALOG. D. N. I. C. ex Matth. et Luca.



Delin. F. X. S. Ing.

Schema Genealogicum Quartum.

De Stemmate CHRISTI JESU.

Stemma JESU Christi juxta Cornelium à Lapide, & alios.

Ex S. Matthæo	*Ex S. Luca.*
Abraham 1.	
David 2.	
Salomon 3.	Nathan 4.
Roboam	Mathatha
	Menna
Joram 5.	Meléa
Josia 6.	Eliakim
Jechonia 7.	
Salathiel 8.	Neri
	Salathiel
Zorobabel 9.	Zorobabel 10.
Abiud *	Resa
Eleazar	Levi
Mathan 11.	Mathat
Sobe Jacob 15 Anna	Eli 12.
Elisabeth	
Joan. Bapt. Cleophas Joseph 14	Maria 13.
	JEsus

Salome Maria 16 Jacob 17 Mi. Joseph. 18 Judas: 19 Simon. 20.

Jacobus Ma. Joannes Evang.

* *Vide Coll. Hist.*

ANNOTATIONES.

1. AB *Abrahamo* incipit *Matthæus*, utpote cujus finis fuisse creditur, *Genealo-gicè* *Finis Genealogiæ S. Matthæi quis?*

gicè demonstrare Messiam, ùt *legitimum Regem*, descendentem à Patribus, juxta *promissionem Divinam*, *Abrahamo* factam: *in semine tuo benedicentur omnes Gentes*. Item *Davidi*: *de fructu ventris tui ponam super sedem tuam*: unde descendit ab *Abraham* per triplicem seriem generationum 14. nempe Patriarcharum, Regum, Principum Populi, ac Majorum. Contrà *S. Lucæ* finis fuisse videtur, *genealogicè demonstrare Messiam*, ùt *verum Hominem* descendentem à Patribus, & *Davide secundùm carnem*: hinc genealogiam cepit ab *Eli*, sive *Ioachim*, *Mariæ* Parente, ascendendo per Majores usque ad *David*, *Abraham*, *Adamum*, denique & ipsum DEUM. 2. Concordat uterque Evangelista, usque ad *Davidem*, in quo *Matthæus* absolvit primam tesseradecadem, *statúmque Judaici Populi Democraticum* sub Patriarchis atque Judicibus. Sed *David*, qui *Matthæo* est decimus quartus, incipiendo ab *Abraham*; *Lucæ*, incipienti à DEO & *Adamo* est trigesimus quintus. 3. Hîc prima divisio Evangelistarum: *Matthæo* è Regio *Davidis* stemmate Genealogiam *Josephi*, & *Christi* per *Salomonem* deducente. 4. *Lucâ* verò per *Nathan*, non Prophetam illum, sed Filium *Davidis* è *Betsabee* legitimum, stemma B. V. & *Christi* genealogicè enarrante. 5. Ait *Matthæus*, *Joram genuit Oziam*, intellige non immediatè, sed mediantibus *Ochoziâ*, *Ioa* & *Amasia* intermediis: omissionis causa à *S. Hilario* allegatur, cùm quòd Evangelista intentus fuerit suæ tesseradecadi, tum quòd *Joram*, *Athaliâ* conjuge, se miscuerit maledicto *Achabi* stemmati, quod sicut DEUS cupiebat deletum, ita *Matthæus* hoc ipsum præstare voluit omissione hac Suc-

S. Lucæ.

S. Matthæus tres tesseradecades & Cur?

S. Matthæo omissi 3. Reges, & cur?

3. Reg. 21.

Successorum ad usque quartam generationem. Sic etiam à *Salomone* usque ad *Davidem* aliquas generationes ab eodem D. *Matthæo* omissas censent Authores propter eandem rationem *Thesseradecadis*. *6.* ait *Matthæus*: *Josias genuit Iechoniam, & fratres ejus*, intellige *Iekoniam I*, seu *Ioakim*, Filium *Iosiæ secundò* genitum, qui complevit secundam Tesseradecadem, *Statúmque Monarchicum* sub Regibus, *Regia Davidis* stirpe in *Sedecia* fratre denique extincta. * *7.* Hic *Ioachim* seu *Iechonias* Filius est *Iekoniæ*, seu *Ioakimi* I. *Iosiæ* nepos, qui post trimestre regimen *Babylonem* abductus est, substituto *Sedeciâ* Patruo, ut compleretur prophetia *Ieremiæ c. 22. v. 30.* qua dictum est de illo: *scribe virum istum sterilem &c. nec enim erit de semine ejus vir, qui sedeat super solium David.* Hinc in isto *Matthæus* incipit 3.tiam tesseradecadem, seu *Statum Aristocraticum* in Ducibus, & Pontificibus, quales fuêre *Zorobabel*, *Machabæi*, qui duraverat usque ad *Christum*. *8.* Hic *Salathiel*, uti & *Zorobabel*, distincti sunt ab illis, quos recenset D. *Lucas:* utpote qui & Patres, & Avos & abavos omnes diversos numerant. ** *9.* Hic *Zorobabel* Dux ille celebris, qui è *Babylone* in Patriam duxit *Judæam* Gentem. *** *10.* Hinc errat *Hybnerus*, qui hunc *Exod. 20. 5.*

 Zoro-

* An alteruter à D. *Matthæo* sit omissus?
Vide Coll. Hist.

** *Vide coll. Histor.*

*** *Quæres* an hic *Zorobabel* vel alter, cujus meminit D. *Lucas*, Dux fuerit Populi? Ratio dubitandi est: quia *Gravesonio* teste in tr. de Mysteriis *Christi Disert. 4. f. m. 67.* hic *Zorobabel* videtur primùm natus post capti-

Error Hybneri.

Zorobabelem putat Parentem *Abiud*, & *Resa*, eumque ipsum, qui reduxerit è *Babylone Judaicum* Populum. 11. *Mathan* iste, *Jacobi* Pater, & *Annæ*, quódque consequitur, communisavus *Iosephi* est & *Mariæ*, illius secundùm Patrem, istius secundùm Matrem: ex quo colliges, nodum *Gordium* hoc sistemate probabilius solutum, quòd nempe uterque Evangelista Genealogiam contexerit, *verè* nec *putatitiè* tantùm, *pertinentem ad Christum*: *Matthæus* quidem ostendendo *Christum*, *Hæredem Regni legitimum*, utpote ad quem, non modò *legali*, sed *naturali quadam* per D. *Annam*, naturalem Deiparæ Matrem, consanguinitatis serie ortum à *Davide* per lineam *Salomonis*, *Jus sceptri*, etsi ab *Herodianis* impiè usurpatum, *Iosepho* interveniente sit devolutum. *Lucas* verò demonstrando *Christum*, ùt *Hominem verum*, è Patrum, & *Davidis* stirpe progenitum, cujus legitima series continuata est usque ad Beatissimam Virginem, de qua *secundùm carnem* natus est *Jesus*. * 12. *Eli* seu *Heli* per *apochen*, *Hebræis* consuetam, locò

captivitatem, eò quòd ejus Pater *Salathiel* in ipsa natus sit captivitate, & tamen, tanquam Dux Populi, jam debuerit fuisse maturus. Sed ℞. Hunc *Zorobabelem*, ex linea *Salomonis*, fuisse Ducem Populi affirmat *Salianus*, *Cornelius à lapide*, & alii, quorum sequimur Chronologiam: nec ratio allata nos cogit illos deserere: nam juxta *Salianum* natus est *Salathiel* anno Mundi 3461. ultimæ captivitatis 14. *Zorobabel* ortus est anno Mundi 3498. Patris 37. Populum reduxit *A. Mundi* 3517. ætatis 19. vel 20. id quod incredibile non est, cùm fuerit Jure primus ex linea *Salomonis*, & comitē habuerit *Josue* summum Pontificem.

* *Qua ratione formanda utriusque Genealogiæ concordia? Vide Coll. Hist.*

loco *Eliakim* sive *Ioachim*, (*a*) qui fuit Pater *Mariæ*. 13. Ex hoc schemate patet, quomodo *Maria*, *utpote unica Familiæ hæres*, non potuerit contrahere matrimonium extra Tribum *Iuda*, sicut *Sobe*, quæ nupta viro *Levitico* genuit *Elisabetham*, conjugem *Zachariæ* Sacerdotis: sed vi Legis (*b*) debuerit nubere non solùm ejusdem Tribûs, sed etiam Familiæ proximo, ne scilicet paterna hæreditas deveniret ad remotos: talis autem erat *Ioseph*, *Mathanis* Nepos, *Maria Mathanis* neptis. 14. *Ioseph* à D. *Luca* dicitur Filius *Heli*, intellige in sensu latiore, quo *Heli* fuerat Socer illius Schwigervatter: sic *Christus* dicitur Filius *Ioseph*, quia Nutritii, Nehr-Vatter/ Filius *David* & *Abraham*, quia Patriarchæ, Stammen-Vatter. 15. Hic *Iacob* est Filius *Mathanis*, Germanus frater *Sobæ*, & *Annæ*, Pater verò *Iosephi* & *Cleophæ*, quem & *Alphæum* dicunt. Illius soror *Sobe* Mater fuit *Elisabethæ*, quæ *Zachariæ* nupta, genuit *Ioannem Baptistam*. Altera Soror *Maria* ejusdem Filio *Cleophæ* nupta, progenuit, inter alias proles, *Salome* Matrem *Iacobi*, & *Ioannis Evangelistæ*. 16. Hæc *Maria Cleophæ* Filia, soror *Salome*, de qua *Matth*. 28. *v*. 1. 17. Est iste *Iacobus minor*, Apostolus, *Frater Domini*, intellige latiore sensu, quo Patrueles, Brüders-Künder communi vocabulo fratres appellantur. Dicitur hic

Ioseph filius Heli quomodo?

(*a*) Quæ duo nomina in Scriptura synonymῶς sumuntur, ùt patet *l*. 4. *Reg*. *c*. 23. *n*. 34. & 2. *Paral*. *c*. 36. *n*. 4. ubi *Eliakim* Rex *Juda* dicitur *Joachim l*. *Judith*. *c*. 4. *n*. 11. & *c*. 15. *n*. 9. Sacerdos summus dicitur *Eliakim*.

(*b*) *Num*. 36. *v*. 7.

Iacobus Alphæi, fuitque primus Episcopus *Hierosolymæ*. *Act*. 1. 13. *Marc*. 15. 40. *Galat*. 1. 18. *Ioseph* iste etiam *Ioses* est, de quo *Matth*.27. *v*.56. *Marc*. 15. *v*. 40. 19. *Iudas* hic cognomento *Thaddæus*, seu *Lebbæus* Frater *Iacobi* minoris, auctor est epistolæ Canonicæ, de quo *Act*. 1. 13. *Lucæ* 6. 16. *Matth*. 10. 3. 20. *Simon* sive *Simeon* *Marc*. 6. 3. qui successit *Iacobo* Fratri suo in Episcopatu *Hierosolymitano*, Martyrque occubuit *A*. 10. *Trajani*, cùm annum ageret 120. Sciendum denique, alia esse SS. Patrum systemata, quibus utriusque Genealogiæ concordiam ostendere satagunt, quæ tamen, quia magis implexa, alibi fusiùs extricamus. Hoc systema selegimus 1. quia planius. 2. Quia demonstrat etiam Genealogiam *Matthæi propriè* nec *putatitiè* tantùm pertinere ad *Christum*, eò quod ex *Mathane*, *Avo communi B. V. & Iosephi*, Regium stemma non tantùm ad D. *Iosephum* terminet, qui putatitius *Christi* Pater, sed etiam interveniente B. *Anna* verè ac propriè ad ipsum *Christum* deducat. 3. Denique, quia in hoc systemate planiùs apparet: Quomodo

S. Joseph & B. V. Amitini geschwistrigte Kinder.

Jacob	Anna
Joseph	Maria

2.

B. V. & S. Elisabeth consobrinæ geschwistrigte Kinder von 2. Schwestern.

Sobe *Soror*	Anna
Elisabeth	Maria.

3.

Eadem S. Elisabeth neptis B. Annæ

Sobe

Sobe Anna
Elisabeth.

4.

Eadem & S. *Josephus* Amitimi: geschwistrigte Kinder.

Matham.

Sobe	Jacob
Elisabeth	Joseph.

5.

Jacobus & Joannes Christi cognati in quarto gradu.

Mathan.

Jacob	Anna
Cleophas	Maria
Salome	Iesus.

Jacobus Joannes.

6.

Jacobus Minor, & Judas cognati in tertio gradu.

Mathan.

Jacob	Anna
Cleophas	Maria
	Jesus.

Jacobus Judas



Stemma Machabaeorum.

Schema Genealogicum Quintum.

De Stemmate Machabæorum.

Assamonæus 1.
Mathathias 2.
I. Judas Machab. II. Jonathas. III. Simon
3. 4. 5.
IV. Joan. Hyrcanus.

V. Aristob. VI. Antigonus VII. Alexander Janneus.
6. 7.
VIII. Alexandra uxor.

IX. Hyrcanus. X. Aristobulus secundus.
8. 9.

Alexandra uxor. XI. Alexandri secūdi XII. Antigonus.
10. 11.

Atistobolus Mariamne.
12.

ANNOTATIONES.

1. PRotoparens *Machabaeorum*, unde, qui à S. Scriptura *Machabæi*, à profanis Scriptoribus *Assamonæi*, vel *Hasmonæi* nominantur. 2. Author Familiæ celeberrimæ proximus, è Tribu *Levi*, virtute stemma nobilitante, & Tribu *Juda* Principatum huic Familiæ ultrò cedente. 3. Primus Dux, & mortuo *Alcimo* summus Sacerdos simul, dictus *Salvator Populi* in politicis. 4. Dux, & Sacerdos, proditoriè occisus à *Tryphone* in carcere. 5. Dux & Sacerdos, cum duobus filiis *Juda* & *Mathathia* proditoriè occisus à Genero *Ptolomæo*, crudeli tyranno sceptrum affectan-

tante. *6.* Dixit ſe *Regem* primus: rexit initio in *Antigoni* fratris conſortio, quem tamen brevì ſtimulante invidiâ trucidavit. *7.* Hoſtis *Phariſæorum*, cui in Regno ſucceſſit uxor. *8.* Hic natu Major, ſed ſummus Sacerdos tantùm, *Ariſtobulo* fratre ſceptrum ſibi vindicante. 9. Rex, ſed veneno ſublatus. *10.* à *Pompejo* capite plexus. *11.* opitulante *Pacaro Parthorum* Duce rerum potitus, ſed ab *Herode* capite plexus. *12.* Ab *Herode* uxor aſſumpta, ſed capite truncata, uti & *Hyrcanus* Senior, *Ariſtobulo* aquis demerſo, ſic ut totum *Machabæorum* ſtemma denique ſit deletum.

Schema Genealogicum ſextum.

Stemma Herodianorum.

De ſtemmate Herodianorum.

Antipas *1.*
Antipater *2.*

Phaſælus. Herodes I. M. *3.* Salome *4.*

Berenice.

5.	6.	7.	8.	9.	
Antipater	Alexander	Ariſtobulus	Herod. Philip.	Archelaus	Herod. II. Antipas	Phillippus.

Herod. III. 10. Herodias 11. Salome 12.
Agrippa I.
Agrippa II. 13.

ANNOTATIONES.

1. ORiundus ab *Aſcalon*, Præfectus in *Idumæa*: hinc origo *Herodianorum* dubia, an fuerint *Judæi*, an *Idumæi*, an Gentiles: illud certum, quòd Genealogicas *Judæorum* Tabulas ſacraverit *Vulcano* Hero-

Herodes M. ut facilè colligas, *Hebræo* stemmate non prosatum, sed sceptrum & à Tribu *Iuda*, & ab *Hebræis* esse translatum ad Gentes. 2. Homo astutus, *Hyrcano* à consiliis, cujus ope *Romanorum* favores est aucupatus, nominatúsque Præfectus *Judææ* Provincialis. 3. Hic primò *Galilææ* Tetracha: subin *Phasælo*, à *Parthis* capto, & mortuo, Rex *Romanorum* favore. Erant illi conjuges quinque: *prima Doris*, è qua *Antipater*, occisus à Patre. *Secunda Mariamne Machabæa*, è qua *Alexander*, & *Aristobulus*, uterque occisus à Patre. *Tertia Mariamne* filia *Simonis*, Sacerdotis summi, è qua *Herodes Philippus*. *Quarta Marthaca*, è qua *Archelaus*, & *Herodes II. Antipas*. *Quinta Cleopatra*, è qua *Philippus*. 4. Mulier, omnium turbarum in *Herodis* Aula instrumentum pestilens. 5. Hujus uxor *Berenice*, *Herodiadis* infamis mater. 6. Cujus uxor *Herodias*, ex fratre neptis, è qua prognata *Salome* saltatrix illa infamis. 7. *Tetrarcha* in *Idumæa*, & *Samaria*, sub cujus regimine Christus ex *Ægypto* est reversus in *Nazareth*. 8. *Tetrarcha* in *Galilæa*, ex Scripturæ phrasi Rex, cujus uxor prima Regis *Aretæ* in *Arabia* filia, cui repudiatæ successit *Herodias*, *Herodis Philippi* Fratris, etiamnum viventis uxor: sub hoc *Christus* irrisus, cruci affixus. Denique in exilium relegatus est in *Galliam* Anno Christi 40. 9. *Tetrarcha Tetrachonitidis*, mortuus anno *Christi* 34. ejus uxor *Salome*, *Herodiadis* Filia, cujus gratia occisus *Præcursor Domini*. 10. *Romæ* diu captivus, tandem Rex, mortuus post septenne regimen Anno *Christi* 44. postquàm occidit *Jacobum*, Angelo vicissim pœnam à tyranno sumente. 11. Infamis mulier, uxor *Herodis Philippi*, dein *Herodis*

rodis Antipæ Fratris, contra quam *Joannes Baptista* fulmen illud: *non licet tibi habere uxorem Fratris.* 12. Infamis pariter, & infelix saltatrix, dicta à Scriptura matris nomine *Herodias.* 13. Rex *Chalcidis* anno *Christi* 49. *Trachonitidis* anno 52. superstes excidio *Jerosolymitano* anno 70. mortuus anno 100. ætatis 73.

SCHEMA CHRONOLOGO-GENEALOGICUM

Summorum Pontificum Veteris Testamenti.

Moyses.

Pontifex præter ordinem absolutè summus, sed sine jure successionis.

I.

Aaron. — *A. M.* *Sedit annos*

A DEO constitutus, à *Moyse* consecratus, præfuit *Israëlitis* peregrinantibus. * — 2545 - 39.

II.

Eleazar. I.

Hujus Frater erat *Ithamar*, ad cujus stirpem cum tempore devolutum est Sacerdotium. — 2583 - 28.

III.

Phinees.

Huic propter Zelum Divini honoris promissa

* Ex *Saliano*, ubi subinde numerantur anni completi, subinde inchoati, ut adeò unitatis discrimen nullum inducat anacronismum.

A. M. Sedit annos missa Pontificia Dignitas sempiterna. *Num.* 25. v. 13.

3601. - 40.

Pontifices tempore Judicum. *Pontifices* IV. *tempore Judicum.*

Abisue.

Abodo Israëljtarum Rempublicam administrante.

2641. - 56.

V.

Boccæus.

2696. - 24. Tempore *Sangar*, *Barac*, *Debboræ.*

VI.

Ozi.

2721. - 40.

VII.

Zaraias.

2761. - 40. Tempore *Gedeonis.*

VIII.

Meraioth.

4801. - 41. Tempore *Abimelechi*, *Tholæ.*

IX.

Amaria I.

2842. - 39. Tempore *Jephte*, *Samsonis.*

X.

Achitob I.

Ttranslata Pontificia dignitas ad familiam *Ithmaar*, secundo geniti *Aaronis*, propter negligentiam in D. cultu. *Jos. l.* 5. *Ant.*

2880. - 20.

XI.

Heli.

2900. - 40. Ex familia *Ithmäar*, Judex simul.

XII.

Achitobus II.

Heli proper malam filiorum educationem è vivis sublato, divisâ denuò dignitas, *Samuele* Judice, *Achitobo Heli* Nepote summo Pontifice.

2940. - 22.

Ponti

Pontifices tempore Regum.

A. M. *Sedit annos*

Pontifices XIII. *Tempore Regum.*

Achimelech.
seu *Achias.*

Primus Pontifex sub Regibus. 2962. 13

XIV.

Abiathar.

Hic depositus est à *Salomone*, propter conspirationem cum *Adonia*, ultimus ex *Ithmaaris* stirpe, cui suffectus *Sadoc* è familia *Eleazari*. - - - 2975. - 46.

XV.

Sadoc.

Recuperata est denuò dignitas usque ad captivitatem *Babylonicam*. Vixit tempore *Salomonis*: sub hoc Pontifice exstructum Templum *Jerosolymitanum*. - - 3021. - 39.

XVI.

Achimaas.

Filius *Sadoc*, contemporaneus *Roboamo*. 3060. - 17.

XVII.

Azarias I.

Filius *Sadoc*, synchronos *Abiæ* Regi. 3077. - 17.

XVIII.

Johanan.

Contemporaneus Regi *Asæ*. 3094. - 26.

XIX.

Azarias II.

Sub Rege *Josaphat*. 2. *Paral.* 19. *v.* 11. 3120. - 18.

XX.

Amarias II.

Sub *Joram* Rege *Judæ*. 3138. - 13.

XXI.

Jojadas I.

Celeberrimus Pontifex, *Joæ* Tutor, Regni Administrator. 3151. - 34.

XXII.

A. M. Sedit *annos* XXII.

Pedajas.

3185 - 12. XXIII.

Sedecias.

3197. - 29. Sub *Amasia* Rege *Judæ.*

XXIV.

Ioël *sive Azarias* III.

Primus Pontifex sub secunda Regum stirpe,
3226. - 52. *Assyriis* imperante, nempe *Phul Belocho.*

XXV.

Joathamus.

3278. - 16. Sub I*oathamo* Rege I*udæ.*

XXVI.

Urias.

Achazo Regi I*udæ* contemporaneus, scelestissimus, *Achazi* imperio *Damasci* Numina
3294. - 15. Templo inferens.

XXVII.

Nerias.

Sub *Ezechia* Rege I*udæ*, & *Osea* ultimo Rege *Israëlis*, quo Antistite Regnum *Israël* à *Sal-*
3309. - 29. *manassare* eversum.

XXVIII.

Osaias.

Primus Pontifex sub tertia Regū stirpe *Assyriis*
3338. - 6. imperante, *Manassæ* Regi I*udæ* contemporaneus.

XXIX.

I*oachim.*

Sub hujus Pontificatu contigit *Juditha* Histo-
3344. - 49. ria.

XXX.

Sellum.

3393. - 2. Sub Rege *Amon.*

XXXI.

Helcias.

3395. - 31. Sub *Josia.*

XXXII.

XXXII.

Azarias IV. — *A. M.* Sedit annos

Sub hoc abducta pars *Judæ* in captivitatem *Babylonicam* cum *Ioachino* Rege. 3426. - 10.

XXXIII.

Saraias I.

Hic cum *Sedecia* Rege ductus in captivitatem *Babylonicam*. 4. *Reg*. 25. quo absente usurpavit Sacerdotium Pseudo-Pontifex quidam *Phasur*, qui & Jeremiam vinxit in carcere: sub *Saraia* enituit *Susannæ* virtus. 3436. - 11.

Pontifices tempore Captivitatis.

XXXIV.

Josedechus.

Tempore captivitatis: sub quo fuêre celebres *Daniel*, ejúsque Comites. 3447. - 70.

Pontifices Summi sub Regibus Persiæ.

Tempore Regum Persiæ.

XXXV.

Josue.

Hic fuit primus post captivitatem *Babylonicam* ex familia *Eleazari*, Filius Josedechi, qui cum *Zorobabele* cœpit restaurare *Solymæ* Templum tempore *Cyri* & *Darii*. 3517. - 51.

XXXVI.

Joacim.

Sub *Xerxe* I. Rege *Persiæ*. 3568 - 21.

XXKVII.

Eliasib.

Sub *Artaxerxe* Longimano, quo tempore contigit Historia *Estheris*. 3589. - 40.

XXXVIII.

Jojadas II.

Sub *Xerxe* II. & *Dario* Notho. 3629. - 20.

A. M. Sedit annos

XXXIX.

Jonathan.

3649. - 40. Sub *Artaxerxe Mnemnone.*

XL.

Jaddus.

Sub *Artaxerxe Ocho*: *Jaddus* occidit fratrem æmulum in Templo: *Altxandro* M. obviàm processit, ejusque iram avertit: sub hoc erectum Templum schismaticum in *Samaria*, *Alexandro* Jaddi fratre Pontifice, operâ *Sanaballis*: hic Primus Pontifex sub Monarchia *Græcorum*.

Pontifices sub Monarchia Græciæ. 3689-40 com. 41. inch.

Pontifices Summi sub Regibus Syriæ.

Tempore Regum Syriæ.

XLI.

Onias I.

3729. - 24. Sub *Seleuco Nicanore.*

XLII.

Simon I.

Filius *Oniæ* cognomento Justus, à Syracide
3753. - 32. laudatus.

XLIII.

Eleazar II.

Hic *Simonis* Frater, petente *Ptolomæo Philadelpho*, Rege *Ægypti*, misit 72. Interpre-
3765. - 32. tes *Alexandriam. Jos. l. 12. c. 2.*

XLIV.

3797. - 10. *Manasses.*

XLV.

Onias II.

Simonis Justi Filius, qui jam senior tributum *Ptolomæo* Evergeti negavit: ad hunc *Arius Spartiatarum* Rex litteras dedit, fœdùs-
3807. - 14. que iniit. *1. Mach. 12.*

XLVI.

XLVI. A. M. Sedit annos

Simon II.

Oniæ II. Frater, ſub *Antiocho* M. Rege *Syriæ*. 3821. - 25.

XLVII.

Onias III.

Religioſiſſimus Pontifex, inter turbulenta Synagogæ tempora ſub *Antiocho* M. *Seleuco* Philopatore, & *Antiocho* Epiphane Regibus *Syriæ*. 3846. - 36.

Interregnum.

Sub hæc tempora numerant alii Pſeudo-Pontifices. 1. *Jaſonem* ſceleſtiſſimum, Fratrem *Oniæ*, Proditorem, Simoniacum. 2. *Menelaum*, qui cùm non eſſet de genere ſacerdotali, *Jaſonem* de Pontificatu dejecit, mox ipſe denuò dejectus. 3. *Lyſimachum Menelai* Fratrem, qui à Populo interfectus. 4. Hoc interregno durante, ab *Antiocho Epiphane*, Synogoga ad extrema propemodum eſt deducta, illuſtrata tamen heroicis virtutibus *Eleazari*, & ſeptem Fratrum *Machabæorum*. 3883. - 5.

XLVIII.

Mathatias.

E genere Sacerdotali, Synagogæ Salvator, *Aſſamonææ* ſtirpis Protoparens, Dux ſimul & Sacerdos, licèt hunc aliqui negent fuiſſe Pontificem. Vide *Serarium in Comment. l. 7. Mach. c. 2.* 3887. - 1.

XLIX.

Judas Machabæus.

Dux celeberrimus, Pontifex zeloſiſſimus: cum hoc de Tiara contendit *Alcymus*, è familia *Aaronis*, ſceleſtiſſimus Pſeudo-Pontifex, *Menelao* ſubſtitutus ab *Eupatore*. *Joſ. l. 12. c. 15. 2. Mach. 14. v. 3.* ſub hoc in

Ægypto erectum est Templum schismaticum
3888. - 5. Authore *Onia*, Juniore *Oniæ* III. Filio.

L.

Jonathas.

Sub *Alexandro Bala*, & *Demetrio Nicanore*, Regibus *Syriæ*, Dux & Pontifex felix, glo-
3893. - 18. riosus.

LI.

Simon III.

Sub *Sedete*, proditoriè interfectus à genero
3911. - 8. *Ptolomæo*.

LII.

Joannes Hyrcanus.

Sub *Sedete*, *Antiocho Grypho*, Regibus *Syriæ*, qui circa finem vitæ in *Sadducæorum* hæresin deflexisse dicitur à *Iosepho*.
3919. - 31.

LIII.

Aristobulus.

Hyrcani Filius natu maximus, Tiaræ primus, post captivitatem *Babylonicam*, diadema Regium conjunxit: Tyrannus.
3950. - 1.

LIV.

Alexan. Jannæus.

Judaicus *Nero* dictus, Rex & Pontifex sub
3951. - 27. *Seleuco V.* aliisque Regibus *Syriæ*.

LV.

Hyrcanus II.

Sub hoc Pontificia dignitas denuò est separata, *Alexandrâ Iannæi* vidua regiam obtinente: sub hoc ipso *Iudæa* Romano jugo subjecta est, sceptrum ablatum à *Iuda*, & ad *Hero-*
3978 -*46. *dianam* Familiam est devolutum.

Pon-

* Aristobolum II, & Antigonum intrusos non numerat *Salianus*.

Pontifices Tempore Imperatorum Romanorum & Regum ex Herodiana Familia.

Pontifices sub Romanis Imperatoribus, & Regibus Herodianis.

LVI.

Ananelus.

A. M. *Sedit annos*

Ab *Herode* ad mitram promotus, Imperante *Augusto*. 4024. - 6.

LVII.

JESU.

Vix anni dimidium complevit, *Herode Simonem* quemdam elevante, cujus filiam, *Mariamnem* nomine, sibi desponderat. 4030. - ½.

LVIII.

Simon IV.

Mitrâ donatus ob nuptias Filiæ: hac verò, de proditione *Herodi* suspecta, denuò est dejectus: sub hujus Pontificatu nata est B. 4030. - 21.
V. MARIA.

LIX.

Mathias.

Ab *Herode* intrusus, denuóque detrusus ob aquilam auream, ejus consensu è Templi porta dejectam: sub hujus regimine, *Saliano* teste, natus est JESUS Mundi Servator. 4051. - 2.

LX.

Joazar.

Ab *Herode* mitra donatus, ab *Archelao* eâdem denuò spoliatus, quia suspectus de delatione facta ad *Augustum*. 4053. - 2.

LXI.

Eleazar III.

Ab *Archelao* suffectus, rursúsq; post triennium amotus. 4055. - 3.

LXII.

JESU.

A. M. *Sedit annos* Pariter post biennium detrusus ab *Archelao*, intruso rursus *Ioazaro*, & mox iterum re-
4058. - 2. moto.

LXIII.

4061. - 1. *Ioazar.*

LXIV.

Annas sive Ananus.

Scelestissimus, post sexennium amotus, etsi authoritatem sine officio retinuerit. Sub hujus regimine duodennis *Christus* inventus est inter Doctores, disputans in Tem-
4062. - 6. plo.

LXV.

Ismaël.

Hic *Annâ* deposito, intrusus est à *Valerio*
4068. - 1. *Grato*, *Syriæ* Præside.

LXVI.

Eleazar V.

Licitatus mitram venalem, mox ea spolia-
4069. - 1. tus, ut rursus esset venalis.

LXVII.

Simon V.

A *Valerio Grato* intrusus, mox denuò cedere Pedum Jussus *Iosepho Caiphæ*; adeò *Gratus* cum thiara, veluti pueri cum pila, ludebat,
4070. - 1. luculento agonizantis Sacerdotii testimonio.

LXVIII.

Caiphas.

In hoc denique, veluti cloaca, scelera omnia confluxêre, & *Christo* prædicante, ac moriente ablatum est à Synagoga Sacerdotium, *Christo* ipso summo Pontifice, & secundùm ordinem *Melchisedech* sempiterno. Hinc Pontifices reliqui, usque ad Templi exci-

 A. M. Sedit annos

cidium, quia Pontificum solummodò umbræ, oblivionis umbrâ meritò hic involvuntur. 4071. - 16.

OBSERVATIONES
Circa Veteris Synagogæ Pontifices.

I.

Synagoga Figura Ecclesiæ Christi.

SYnagoga fuit *figura umbratilis Ecclesiæ Christi*: & quia *figura*, per analogiam pleráque sunt applicanda Ecclesiæ: sed quia *umbratilis* tantùm, applicanda sunt *suo modo*: nam Ecclesia longè perfectior Synagogâ, quia illa *Domina*, hæc *ancilla*: *non sumus ancillæ Filii, sed liberæ.* *Galat. 4. v. 31.*

II.

Fuit visibilis.

Synagoga fuit visibilis: in hac enim tria considerari poterant. 1. Multitudo credentium. 2. Externum regimen Ecclesiasticum, successio Pontificum continua, Sacrificia, Sacramenta, purificationes &c. 3. Interna fides, & Charitas, qua omnes cum DEO, & inter se vel erant, vel debebant saltem esse uniti: duo priora visibilia, tertium invisibile fuit.

III.

Nunquam erravit seu tota defecit à fide.

Etsi *Synagoga* absolutè fuisset *fallibilis*, cùm non constet de simili promissione: *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam &c.* *tamen errâsse unquam, vel defecisse totam à fide, probari nequit.* Nam primò *Aarone* vitulum adorante, in fide perstitit cum Levitis *Moyses*, Pontifex *absolutè* summus. Nec *Aaron*, etsi peccârit *coactus*, definivit, vel præscripsit hunc cul-

cultum è *Moysis* cathedra, veluti verum & suis sequendum. Idem tenendum de *Uria* Pontifice, tempore *Achazi*. 2. *Eliæ* tempore, in fide perstitit Regnum *Iuda*, præter alios plurimos, qui *Baali* genua non curvârunt. 3. Tempore *Isaiæ*, & *Jeremiæ* mansêre in Templo Sacrificia jugiter ad usque captivitatem. 4. Tempore *Christi* Sacerdotium summum erat penes *Christum*: *Caiphæ* non quidem omnis, sed tamen summa est oblata potestas, unde Synagogæ agonizanti subtracta sensim est assistentia D. Spiritûs in suis conciliis. 5. Nec tempore Passionis Dominicæ Synagoga defecit à fide, quam priùs erat professa, sed exspiravit, & repudiata cum ceremoniis & Sacrificiis ancilla, locum cessit Dominæ, evanuitque velut umbra, præsente luce Evangelica.

3. Reg. 19. v. 14.
Is. 1. 3. col- ligitur 1. Mach. 1. 19.
Matth. 2. v. 4. Item 26. v. 57. Joan. v. 47.

IV.

Sacerdotii origo à DEO est semper, sed non semper eodem modo. *In lege Naturæ* Sacerdotium annexum erat Patri familias, primogenito, veluti Sacerdoti nato, aut alteri per specialem instinctum ad offerenda Sacrificia deputato: hinc *Melchisedechus* Rex simul ac Pontifex. *In Lege scripta Moyses*, à DEO electus, Dux simul ac Pontifex, sed præter ordinem. *Ordinaria Lege* inter 12. Tribus nominata sola est *Tribus Levi*, Divinóque cultui deputata: ex hac electi sunt triplicis generis homines. 1. *Levitæ*, qui Sacerdotibus ministrabant. 2. *Sacerdotes*, qui Sacrificia offerebant. 3. *Pontifex*, summus omnium Antistes. Sacerdotium, præsertim summum, ex ordinaria lege pertinebat, DEI favore, ad solam

Sacerdotii origo.
S. Hier. in QQ. Hebra. super c. 49. Gen.
In lege naturæ.
Bellar. l. 5. c. 9.
Scriptæ.
Tribus Levi, & sola Familia Aaronis.

lum *Aaronis* familiam, nemo enim ſumebat hunc ſibi honorem, *niſi qui vocatus à DEO, tanquam Aaron.* Id quod tam ſanctè ſervatum, ut ne quidem *Moyſis* familia hunc ſibi arrogârit honorem, ſed Levitico munere fuerit contenta. *In Lege gratiæ*, *Chriſtus* fuit primus, & ſummus Sacerdos, à quo hæc dignitas in Eccleſiam Catholicam profluxit. Hinc *Aaronis* Sacerdotium temporale, *Chriſti* verò *æternum.*

Heber 5. v. 4.

In lege gratiæ.

V.

Succeſſio Pontificum in Teſtamento veteri fuit *continua*: fuit de Jure *Legis ordinariæ Primogenitis debita*, è familia *Aaronis*: fuit *dignitate perpetuò manente*. Hinc *Aaroni* ſucceſſit *Eleazar* primò genitus, quamvìs, ob negligentiam D. cultûs, Pontificia dignitas in *Heli* ſit translata ad familiam *Ithamar*, qui fuit ſecundo genitus *Aaronis*. Propter ejusdem *Heli* peccata, & *Abiatharis* perfidiam in *Salomonem*, à DEO electum Regem, translata denuò fuit hæc dignitas ad priorem familiam *Eleazari*, ſic ut in *Aaronis* ſtirpe ad usque tempora *Herodis* permanſerit. Quamdiu fuit ex Legis præſcripto hæreditaria ac perennis Pontificia dignitas, non cumulatæ ſunt nimiùm mitræ, adeò, ut annis 1479. non niſi 55. Pontifices numeraverit *Moyſis* cathedra: poſtquàm verò *Antiochus Eupator* tentavit, *Herodes* etiam auſus eſt rebus ſacris ſeſe ingerere, tiara proſtabat licitantibus venalis, adeò, ut ambitioni, fraudibus, vi ac perfidiæ apertâ januâ, intra 100. & aliquot annos, 29. mitrati hiſtriones, velut in theatrum, prodierint, móxque peractâ fabulâ receſſerint denuò, vix ullo paſtorale pedum tumulo inferente.

Succeſſio Pontificum continua, de jure hæreditaria, & à Principibus independens.

VI.

Ritus consecrandi Pontificis.
Exod. 29.
Levit 8.

Nemo Pontifex officio fungi poterat, nisi priùs, ex Legis præscripto, certis ceremoniis legitimè consecratus. Ritus describit liber *Leviticus*, & adhibebantur 1. ad demonstrandam officii præstantiam, & sanctitatem. 2. Ut Populus edoceretur, quanto honore colendus esset supremus Pastor.

VII.

Officia specialia.
Hebr. 9. 7.
Exod. 29.
Levit. 8. & Num. 8.

Pontificis officia *specialia* erant 1. semel in anno, solemni die propitiationis, introire in *Sancta Sanctorum*. 2. Consecrare Levitas, & Sacerdotes. 3. In controversiis legalibus agere supremum Judicem, & pronuntiare sententiam ultimam. 4. In rebus gerendis consulere DEUM, & indutus Ephod responsum accipere.

VIII.

Ornamenta Pontificia.

Vestitus & ornamenta summi Pontificis erant 1. Femoralia linea. 2. Vestis linea. 3. Cingulum. 4. Tunica hyacinthina, è cujus fimbria inferiore pendebant alternatim mala punica, & tintinnabula aurea. 5. Ephod seu superhumerale ex auro, hyacintho, purpura, cocco bis tincto: in utroque latere versus humeros duo onyches cum nominibus 12. Tribuum visebantur. 6. Rationale seu pectorale, in quo 12. lapides pretiosi per 4. ordines cum nominibus 12. filiorum *Israël*, & hisce verbis *Urim* & *Thumim*, hoc est *Veritas* & *Doctrina*. 7. Mitra ex bysso. 8. Supra mitram lamina aurea in Pontificis fronte cum hac epigraphe: *Sanctum Domino*. Hæc ornamenta in sensu mystico significabant virtutes, quibus resplendere præ cæteris debuisset Pontifex Summus.

IX. Pon-

IX.

Pontifex præprimis, uti & omnes Sacerdotes, jure Divino, tenebantur ad continentiam ab uxoribus, pro toto tempore, quo in Tabernaculo vel Templo miniſtrabant: *Eſtote parati in diem tertium, & ne appropinquetis uxoribus veſtris*, quam continentiam per *ſanctificationem*, pluribus in locis, indicat ſacer Textus.

Continentia in Pontifice requiſita.

Exod. 19. v. 10. & 22. 1. Reg. 21. v. 1.

X.

Reditus Pontificis ſummi, & opes erant ingentes. Nam 1. Levitæ habebant decimas à reliquis Tribubus, in fructibus, pecoribus & jumentis, è quibus decimis denuò decimas pendebant Sacerdotibus, & imprimis Pontifici. 2. cum Sacerdotibus Pontifex accipiebat *primitias* in Paſchate de novis ſpicis: in Pentecoſte de novis panibus: in ſeptembri, Feſto Tabernaculorum, de novis fructibus. 3. Accipiebat itidem primogenita pecorum mundorum, immundorum & hominum, quæ quinque ſiclis redimebantur. 4. Accipiebat oblationes fieri ſolitas *ex obligatione* in decimis, primitiis, & primogenitis, ut dictum: *ex devotione: ex voto*. Hinc cum Tribus Levitica haberet partes bonorum duodecim, ſingulis Tribubus tantùm retinentibus partes novem; cúmque ad portionem Pontificis acceſſerint inſuper decimæ decimarum, primitiæ, primogenita, oblationes, excreverint reditus oportet in cumulum propemodùm immenſum.

Reditus & opes ſummi Pontificis.

XI.

Authoritas Summi Pontificis in Lege veteri fuit ſumma. Hanc illi DEUS conciliavit. 1. Solemni conſecratione, quæ præſente Populo dura-

Authoritas ſumma.

durabat per dies ſeptem. 2. Unctione olei, quod in nullos uſus profanos adhiberi poterat. 3. Ornatu peculiari Pontificio. 4. Magna copiâ annuorum redituum. 5. Frequenti colloquio cum DEO, dandíſque Populo reſponſis: 6. Suprema authoritate in decidendis controverſiis legalibus, cui deciſioni omnes ſub pœna mortis acquieſcere tenebantur. 7. Variis denique & illuſtribus miraculis in primo Sacrificio Aaronis, delapſo igne de Cœlo. Punitis obtrectatoribus *Dathan*, *Core*, & *Abiron*: virgâ florente. Ex quibus omnibus Sacerdotio accrevit non multò minor, quàm Regia Majeſtas, quæ etiam tandem cum Regno coaluit.

Levit. 9. v. 24.

XII.

Symboliſmus Synagogæ cum Eccleſia Chriſti Catholica.

Synagoga in his omnibus fuit umbra, figura & typus Eccleſiæ Chriſti Romano-Catholicæ, magnámque cum hac habuit analogiam. Nam 1. ſicut *Synagogam* ædificavit *Moyſes*, ita Eccleſiam *Chriſtus*, pſeudo-Eccleſiam *Lutherus*. 2. Sicut ille fuit primus Monarcha, & Caput viſibile Synagogæ, ita *Chriſtus* Eccleſiæ *Romanæ*, *Lutheranæ* Dux Saxoniæ, *Eliſabetha* Anglicæ Calvinianæ. 3. Sicut Synagoga, poſt mortem *Moyſis*, gubernata ſemper fuit à viſibili Capite, & quidem ſucceſſione continua: ita poſt mortem *Chriſti*, ſucceſſione ſimili, Eccleſia *Romana*. Hic claudicat paritas cum *Lutherana*, quia acephalâ. 4. Sicut Synagoga fuit viſibilis ſemper, in regimine Eccleſiaſtico, Sacrificiis, expiationibus, Sacramentis: ita viſibilis ſemper fuit Eccleſia *Romana*: *Lutherana* viſibilis in regimine Laico, inviſibilis in Sacrificiis, expiationibus &c. 5. Sicut *Sy-*

nagoga defectionis à fide, vel erroris convinci nequit, ita neque Ecclesia *Christi Romana*, quidquid oggranniat *Lutherus* cum suis, ne Synagogam suam, hoc ipso fateri cogatur erroneam, quia ab infallibili alienam. 5. Sicuti successio Pontificum in Synagoga fuit independens à Principibus Laicis: ita successio Pontificum in Ecclesia *Christi Romana*: & sicut Synagoga turbata est per Pontifices spurios, ab *Herode* intrusos: ita subinde *Romana* Ecclesia; *Lutherana* nunquam, quia *Laica* & *acephala*. 6. Sicut Synagoga certis ritibus consecravit suos Pontifices, ita & suos consecrat Ecclesia *Romana*: en! quo fonte ceremoniæ promanârint, quæ in præconibus *Lutheranis* supplentur per matrimonium. 7. Sicut Pontifex in Synagoga consecrabat Sacerdotes, potestate à *Moyse* legitimè translatâ: ita Pontifex in Ecclesia *Romana*, potestate à *Christo* accepta, & per Pontifices Successores legitimè translata. Qua potestate Laici consecrant Acatholicos D. Verbi Præcones? quomodo dant, quod non habent? 8. Sicuti Pontifices Synagogæ ornamentis distincti fuêre à reliquis ob muneris dignitatem; sicut continentia temporanea adstricti ob muneris sanctitatem: ita & Pontifices *Romanæ* Ecclesiæ, hoc discrimine, quod castitate perpetua teneantur, quia DEO inservire jugiter obligantur. *Lutherana* Ecclesia parem servat analogiam, nam dat Pastoribus uxores ad propagandum stemma sacerdotale, eo solùm discrimine, quòd continentiam respuant perpetuam æquè ac temporalem. 9. Pontifices Synagogæ, DEO sic volente, possidebant opes amplas, ac reditus, non ad luxum, sed Sacerdotii splendorem:

possi-

possident *Romani* Pontifices ad eundem finem, qui splendor cum Præcones acatholicos urat, probant se noctuas, damnántque opes, quas non respuerent, si darentur. *10.* Pontifices Synagogæ pollebant authoritate summa: summâ pollent Pontifices Ecclesiæ *Romanæ*; illis magna, his major in decidendis fidei litibus potestas, major in subjiciendis nostris judiciis obedientia, in exequendis imperiis rererentia. Squalet Sacerdotium acatholicum, proletariæ plerumq; plebi comune; torpet Ecclesia sine Judice, sine authoritate, & Capite: horret nempe analogiam cum Synagoga, si excipias conjuges; iactat Evangelium purum, Sacerdotium servat impurum, quod utinam saperet, & saltem è Synagogæ umbra lucem acciperet, ac suas tenebras damnaret!

INSTRUCTIO IV.

Selectus

Quæstionum magìs memorabilium, Juventuti Gymnasticæ accommodatus, unà cum synopsi artificiali ad juvandam illius memoriam.

ANNOTANDA.

Elementa Historica Juventuti accommodandæ Quomodo?

M*Elander*. Quomodo institutiones Historicæ, Academico studio destinatæ, pro Gymnastico pariter accommodandæ?

Leucotheus. Duplici medio: *selectu quæstionum magìs memorabilium*, ad vitandam in rerum

rerum copia confusionem. 2. *Synopsi artificiali* pro juvanda illius memoria, ad præcavendam oblivionem.

Mel. Quid per artificialem memoriam notas?

Artificialis memoria quid?

Leuc. Intelligo *rerum synopsin, aliquot versiculis comprehensam,* quæ à Juventute facilè discitur, tenaciùs retinetur, nec nisi difficillimè per seram ætatem diluitur.

Mel. An operæ pretium, historiam cogere in metri pedes?

Utilitas quæ?

Leuc. Pro Juventute operæ pretium esse, nos docent exempla, pro Acatholica juventute passim parata, quorum quàm sæpè improbo claudicantem enormiter *Pegasum*, tam probo utile inventum. Sed convincit P. *Labbæi*, præprimis verò Patris *Buffier* recentissimum exemplum, qui metro patrio sic juventutis *Gallicæ* memoriam adjuvat, ut nemo non palpet utilitatem, nemo non methodum probet, nisi qui cuperet ab Eruditis omnibus reprobari. Illud tamen hìc advertendum, quòd si quis ad artis Poëticæ sive rigorem, sive decorem sequentes versiculos examinare præsumeret, næ is ineptus & futilis *Rhadamantus* foret, qui gemmas in salebris quæreret, neque sciret, quòd memoriæ subsidia, non troporum decora hìc quærantur.

Mel. An Juventuti Gymnasticæ, etiam Chronologiæ, & Genealogiæ principia quædam necessaria judicas?

Principia Cronologica & Genealogica necessaria Quomodo?

Leuc. Omninò negligere, contra leges Historiæ, probrosum: exactiùs illa exigere, nimis incommodum: sobriè delibare, utile est & necessarium.

Mel.

Quæ? *Mel.* In quibus ergo exercenda Juventutis tenerioris memoria?

Leuc. Si Patris *Buffier* ſequenda veſtigia, proderit *primò* dicere ſeriem Patriarcharum, Judicum, Regum, Pontificum ab *Adamo* uſque ad *Chriſtum natum*, & viciſſim inverſo ordine à *Chriſto* nato uſque ad *Adamum*. *Secundò* ſignare epochas, & annum determinatum, ſaltem eventuum magis memorabilium: v.g. *Diluvii*, *Abrahami* nati, *Moyſis* mortui, *Regiminis cœpti* per Judices, Reges, *Regni diviſi*, *captivitatis Babylonicæ*, *Machabæorum*, *Chriſti nati &c.*

De Principiis Geographicis quid? *Mel.* Quid judicandum de principiis Geographicis?

Leuc. De principiis abſtraho, de oculari chartæ Geographicæ inſpectione id palàm enuntio, eam ſi minùs neceſſariam, certè ſummè eſſe proficuam, cùm inter primaria juvenilis memoriæ ſubſidia meritò numeretur.

§. I.

Synopſis

CAPITIS I.

Ætas prima ſeu Status Patriarcharum, ante Diluvium, à Creatione Mundi usque ad Catacliſmum.

Caput 1. Ex Inſtructione De S. Scripturâ ſelectus Quæſtionum Quis?

MEl. Quinam quæſtionum Selectus Inſtructionis Genericæ de Sacra Scriptura?

Leuc. Sequens, quem indicant & hìc & ibi poſiti numeri correſpondentes.

1. Quid

1. Quid ſacra Scriptura? fol. 9.

2. Cur ſacra? fol. 9.

3. Cur Biblia? fol. 9.

4. Quæ diviſio S. Scripturæ? fol. 9.

5. Quot libri S. Scripturæ, & quot claſſes à SS. Patribus referuntur? fol. 9.

6. Quot, & quinam pertinent ad primam claſſem? fol. 10.

7. Quot & quinam ad ſecundam? fol. 13.

8. Quot & quinam ad tertiam? fol. 19.

9. Quot & quinam ad quartam. fol. 21.

10. Quænam epitome Teſtamenti veteris? fol. 24.

11. Quæ certitudo S. Scripturæ? fol. 24.

12. Quæ utilitas quoad mores? fol. 28.

Mel. Quænam ſynopſis pro Juventute Gymnaſtica ex inſtructione prima de ſacræ Scripturæ notitia in genere?

Mel. Quæ Synopſis? ***Synopſis quæ?***

Leuc. Hæc. Scripturam[1] ſacram, ſeu Biblia[2], Teſtamentum[3]
Et vetus atque novum[4], veteri jam nomine dicunt.
Quinque libri, & quadraginta[5], noto ordine, claſſes
Efformant quatuor[6]: nam *Legem* prima, ſecunda
Hiſtoriam[7], *Sapientem*[8] tertia, quarta *Prophetas*[9]
Continet; hæc tota[10] eſt Scripturæ *certa*[11] ſynopſis.

Ex secunda Instructione.

INSTRUCTIONIS II.

Synopsis, atque Selectus de Statu Patriarcharum ante Diluvium.

Quæstionum selectus quis?

MElander quis quæstionum selectus?
Leuc. 1. A quo creatus Mundus, & quomodo? fol. 32.
2. Quo ordine? fol. 34.
3. Quid primo die? fol. 34.
4. Quid secundo? fol. 37.
5. Quid tertio? fol. 38.
6. Quid quarto? fol. 39.
7. Quid quinto? fol. 39.
8. Quid sexto? fol. 39.
9. Quomodo creata *Eva*? fol. 42.
10. Quale datum primis Parentibus præceptum? fol. 43.
11. Quid de septimo die? fol. 44.
12. Quæ Observationes Christianæ? fol. 44.

Synopsis quæ?

Mel. Quæ synopsis Instructionis secundæ?

Leuc. E nihilo creat [1] omne DEUS, creat [2] ordine: nam Lux

[3] *Prima* dedit lucē, vastum dedit [4] *altera* Cœlum,
[5] *Tertia* Tellurem plantis, & [6] *quarta* planetis
Stellísq; ornavit Cœlos: mare [7] *quinta* replevit
Piscibus, & volucrem dispersit in aëre turmam
[8] *Sexta* animal dedit omne, Hominémque creavit *Adamum*:

Fin-

9 10
Fingitur *Eva*, vetátque malum Lex tradita malum:
11.
Primáque tum celebrat feriatum Sabbatha Numen.

INSTRUCTIONIS III.

Synopsis atque Selectus.

Ex instructione tertia.

MElander. Quis quæstionum selectus? *Quæstionum selectus quis?*
Leucotheus 1. Quænam *Evæ* tentatio, à quo, & quomodo? fol. 48.
2. Qualis Parentum lapsus? fol. 49.
3. Quæ DEI sententia in reos fol. 51.
4. Quomodo ejecti è Paradiso? fol. 54.
5. Quomodo, & cur *Abel* à *Caino* occisus? fol. 55.
6. Quæ pœna *Caini*? fol. 56.
7. Quando mortuus *Adam*? fol. 58.
8. Quid de *Adami* Posteris *Setho*, *Enoch*? fol. 59.
9. Quid de *Mathusalemo*? fol. 60.
10. Quæ artes inventæ, & à quibus? fol. 61.
11. Aureum hoc sæculum quibus vitiis corruptum? fol. 62.
12. Quæ Observationes Christianæ? fol. 63.
Mel. Quænam synopsis Instructionis tertiæ. *Synopsis quæ?*
Leuc. Sequens:

1 2
Dum pomum *Eva* capit, capitur: capit inde Maritum,
3 4
Et Paradisiacis cum conjuge pellitur oris:

Cæsus *Abel*[5] moritur, Nemesin trepidante *Caino*[6]:
Sed Superis, post funus *Adæ*[7], *Seth*[8] plantat amatam
Stirpem: *Mathusalem* summo memoratur[9] ab ævo:
Per *Jubal*, atque *Tubal* artes[10] exordia sumunt:
Fit[11] per famosos Tellus scelerata Gigantes.

Caput secundum.

§. II.

CAPITIS II.

Synopsis.

Ex Instructione unica.

Ætas secunda, seu status Patriarcharum, qui coœvi Hominum dispersioni ab Abrahamo Circumciso, usque ad Cladem Ægypti, factam per Moysen.

Quæstionum selectus Quis?

MElander. Quis ex instructione hujus Capitis quæstionum selectus?

Leucotheus. 1. Quæ causa diluvii? fol. 66.

2. An Arca sat ampla pro omnibus tam hominibus, quàm animalibus? fol. 68.

3. Quinam & quomodo ingressi? fol. 69.

4. Quæ mora in Arca, & quàm grandis aquarum eluvio? fol. 71.

5. Quando & ubi *Noë* egressus? fol. 72.

6. Quid post egressum? fol. 72.

7. Quæ causa maledictionis *Cham* in *Chanaan*? fol. 72.

8. Cur, & quomodo turris *Babel* erecta? fol. 74.

9. Quæ

9. Quæ divisio, & dispersio Gentium? fol. 74.
10. Quæ origo Idololatriæ? fol. 75.
11. Quæ Religio *Noëmo* mortuo? fol. 75.
12. Quæ Observationes Christianæ? fol. 77.
Mel. Quæ synopsis hujus instructionis? *Synopsis quæ?*
Leuc. Hæc.

1 2
Diluvii causas, Arcæ spelæa, *Noëmi*
3 4 5 6
Ingressum, atque moras, egressum, opprobria vitis,
7 8
Diras in *Chanaan*, confusæ culmina turris
9
In *Babel*, & sparsas per Mundi devia Gentes,
10 11
Numina vana, DEI verum per crimina cultum
Vix non extinctum, Mundi altera continet ætas.

§. III.

CAPITIS III.

Synopsis.

Ætas, seu Epocha Tertia.

Caput Tertium.

Status Patriarcharum,

Quibus factæ à DEO promissiones ab Abrahamo Circumciso usque ad Cladem Ægypto allatam per Moysen.

INSTRUCTIONIS I.

Synopsis atque Selectus.

Ex Instructione prima Selectus Quæstionum Quis?

MEl. Quis quæstionum Selectus?
Leuc. 1. *Abraham* vocatus quomodo? fol. 80.

 2. Se-

Synopsis instructionis primæ Quæ?

Mel. Da synopsin Instructionis primæ.

Leuc.

Bis Deus è patriis *Abramum* [1] provocat oris:
[2] *Loth* se disjungit: capitur, [3] sed vincula solvit
Victor *Abram*: Superos probus [4] excipit hospes: ab igne
[5] Vindice Pentapolis fumat: gemit [6] *Ismaël* æde
Expulsus patriâ: jam jam [7] casurus ad aras
Ducitur *Isacus*: cui mox [8] proba quæritur uxor:
Quæ [9] genuit geminos: *Esau* [10] jus nobile cedit
Fratri, & vota Patris [11] Materno hic præripit astu.

INSTRUCTIONIS II.

Synopsis atque selectus.

Selectus Quæstionum ex instructione secunda quis?

Mel. Quis quæstionum selectus ex instructione secunda?

2. Quo-

2. Quomodo exceptus à *Labano*? fol. 95.
3. Nuptiæ quales? fol. 96.
4. *Jacobi* Filii quot? fol. 96.
5. Discessus causæ quæ? fol. 97.
6. Persecutio à *Labano* qualis? fol. 98.
7. Qualis occursus *Esavi*? fol. 99.
8. *Dinæ* casus quis? fol. 99.
9. *Jobi* status felix quomodo? fol. 102.
10. Quomodo infelix? fol. 102.
11. Quomodo iterum felix? fol. 104.
12. Quæ Observationes Chistianæ? fol. 105.

Synopsis Instructionis secundæ quæ?

Mel. Quæ synopsis instructionis secundæ?

Leuc. [1] Dum fugit *Esavum* frater, mysteria scalæ
[2] Conspicit, excipitur peregrinus hic hospes, & uxor
[3] Offertur duplex: bis [4] senâ prole beatus
[5] Dum redit in Patriam, [6] *Labani* discutit iras,
[7] Fratris placatas sentit: sed [7] *Dina* Parentem
Mox iterum turbat, nova dum spectacu la Mundo
[9] Dat *Jobus* felix, [10] infelix, [11] denuò felix.

INSTRUCTIONIS III.
Synopsis atque selectus.

Quæstionum instructionis tertiæ selectus Quis?

Mel. Quis quæstionum ex Instructione tertia selectus?

Leuc. 1. *Josephus* cur & quomodo venditu s? fol. 107.
2. *Josephi* fata in servitute quæ? fol. 109.
3. Quæ in carcere? fol. 110.
4. Occasio libertatis *Josephi* qualis? fol. 111.

Synopsis Instructionis Tertiæ Quæ?

Mel. Quæ synopsis instructionis tertiæ?

Leuc. Somnia[1] *Josephum* vendunt: in vincula tradit[2]

Spretus amor: captum commendant[3] somnia: tollunt[4]

In solium: Fratres dum durius excipit[5], offert[6]

Sese *Benjamin*: quem furti ubi crimina turbant[7],

Se prodit[8] *Joseph*, *Josephum* invisit[9] *Jacob*:

Intereà Fratres dum vexat[10] sæva tyrannis,

Mittitur[11] auxilio mœstis à Numine *Moyses*.

CA-

§. IV.

CAPITIS IV

Synopsis.

Caput Quartum.

Ætas seu Epocha quarta.

Status Judicum à Clade

Ægypti per Moysen usque ad Consecrationem Saulis.

Ex instructione prima. selectus Quæstionum Quis?

INSTRUCTIONIS I.

Synopsis atque Selectus.

MEl. Quis quæstionum selectus?

Leuc. 1. Quis primæ legationis fructus? fol. 130.

2. Quænam & quot *Ægypti* plagæ? fol. 130.

3. Quomodo celebratum primum Pascha? fol. 135.

4. Exitus ex *Ægypto* qualis? fol. 136.

5. Quomodo in mari rubro demersus *Pharao*? fol. 137.

6. Quid de Manna memorabile? fol. 140.

7. Lex quomodo data, quibus in circumstantiis? fol. 143.

8. Exploratores missi cur? fol. 151. quot? quo effectu? ibidem.

9. Seditio *Core* qualis? cur? quomodo? fol. 153.

10. Quomodo ex petra *Moyses* elicuit aquam? fol. 155.

11. Quæ acta à *Balac* contra Populum *Israël*? fol. 157.

12. Obſervationes Chriſtianæ quæ? fol. 163.

Synopſis quæ? *Mel.* Quænam ſynopſis inſtructionis primæ?

Leuc. ſequens:

Cùm *Moyſen* [1] ſpernit *Pharao*, ſua Regna cruentis
[2] Succumbunt plagis: ſequitur poſt [3] gaudia Paſchæ,
[4] Exodus, *Ægyptúſque* rubro [5] tumulata profundo.
Manna datur [6] querulis, [7] datur almæ copia Legis
Sacrilegis, timidos [8] exaſperat uva, rebelles
[9] Deglutit Tellus, dat petra [10] incredula lympham
Lymphatis, *Balac Cypriis* malè [11] dimicat armis.

Mel. Ex ordine decem plagas *Ægyptias* memora.

Leuc. Sic habent:

Prima [1] *rubens unda* fol. 131. [2] *ranarum* plaga ſecunda f. 132.
Inde [3] *culex* triſtis fol. 132. pòſt [4] *muſca* nocentior iſtis fol. 133.
Quinta *pecus* ſtravit fol. c. *veſicas* ſexta creavit: f. c.
Túmque ſubit [7] *grando* fol. c. mox [8] *bruchus* dente nefando. f. 134.
Nona [9] *tegit* Solem fol. 134. *primam* necat ultima prolem. f. 135.

IN·

INSTRUCTIONIS II.
Synopsis atque selectus.

Quis Quæstionum selectus ex instructione secundæ?

MEl. Quis quæstionum Selectus?

Leuc. 1. Qualis expeditio *Josue* prima? qualis obsidio *Iericho*, & strages? fol. 169.

2. Qualis obsidio Urbis *Hay*? Quis successus? fol. 170.

3. Cur, quomodo Rex *Adonisedech* profligatus? fol. 172.

4. Quinam tres primi Judices, & quid sub illis memorabile? fol. 180.

5. Quomodo per *Debboram* & *Barac* deletus Rex *Jabin*? Quæ fata *Sisaræ*? fol. 182.

6. *Gedeon* quomodo vocatus? qua ratione victor contra *Madian*? fol. 183.

7. Quænam tyrannis *Abimelechi*? Qualis ejusdem interitus? fol. 187.

8. Victoria *Iephte*, quali voto, turbata? fol. 189.

9. *Samsonis* facinora, & fata quæ? fol. 192.

10. *Heli* regimen quale? quomodo famosum, luctuosum? fol. 197.

11. Quomodo erecta sub *Samuele Hebræorum* Respublica? fol. 200.

12. Quæ Observationes Christianæ? f. 203.

Mel. Quæ synopsis instructionis secundæ? *Synopsis quæ?*

Leuc. Ecce cadit [1] *Iericho* : vastat [2] *Vulcanus Hainam* :

Stat Sol [3] attonitus : triplici sub Judice [4] surgit

Gens misera : exarmat [5] *Sisaram* : *Gedeonis* ab ollis

Tur-

6 Turbatur *Madian*: 7 per fratrum funera regnat
8 *Abimelech*: & vota gemit malè provida *Iephte*:
9 Hostem ubi contrivit *Samson*, *Heli* impia Natos
10 Corrumpit pietas: 11 Res sub *Samuële* resurgunt.

§. V.

Caput Quintum.

CAPITIS V
Synopsis.
Ætas seu Epocha quinta.
Status Regum,
A Confecratione Saulis, usque ad Captivitatem sublatam à Cyro.

Ex instructione prima.

INSTRUCTIONIS I.
Synopsis atque Selectus.

Selectus Quæstionum Quis;

MEl. Quis Quæstionum selectus?

Leuc. 1. Cur, & quomodo in Regem unctus est *Saul*? fol. 207.

2. Quale bellum contra *Naas*, *Ammonitarum* Regem? fol. 208.

3. Cur & quomodo *Saul* à DEO reprobatus? fol. 212.

4. Quis *Sauli* substitutus? & quomodo? fol. 213.

5. Quomodo à *Davide* prostratus *Goliath*? fol. 214.

6. Quænam insidiæ *Davidi* structæ à *Saule*? fol. 217.

7. Quænam beneficia *Davidis* in *Saulem*? fol. 219.

8. *Saul*

8. *Saul* quomodo mortuus? fol. 221.

9. An tunc ſolium conſcendit *David?* fol. 224.

10. Quænam occaſio totius Regni, ad *Davidem* devoluti? fol. 225.

11. *Davidis* Regnum, & Regia ubi & quomodo firmata? fol. 226.

12. Quæ Obſervationes Chriſtianæ? fol. 228.

Mel. Quæ ſynopſis inſtructionis primæ in hac Epocha? *Synopſis quæ?*

Leuc. Quæ ſequitur:

Eligitur[1] *Saul* ſorte, *Naas*[2] cui porrigit herbam:
Tum[3] *Saul* fit reprobus, reprobati[4] ſceptra *Davidem*
Condecorant, ſternit[5] *Goliathum* hic parvulus Heros:
Hunc[6] *Saul* perſequitur, licèt hoſtem ſæpè *Davidis*
Servârit[7] pietas: proprio *Saul* denique ferro
Corruit[8], *Abnero*[9] dubiam faciente coronam,
Quo[10] malè proſtrato res ceſſit[11] tota *Davidi*.

INSTRUCTIONIS II.

Selectus, atque Synopſis

Ex inſtructione ſecunda Quæſtionum ſelectus quis?

MElander. Quis quæſtionum ſelectus ex Inſtructione II.?

Leucotheus. 1. Quibus auſpiciis ſtabilitum *Davidis* Imperium? qua ſui victoria?

qua

qua religione in transferenda Arca? fol. 231.

2. Cur, & quomodo Legatorum injuriam ultus est ab *Hannone* illatam? fol. 234.

3. Cur, & quomodo in adulterium & homicidium lapsus? fol. 235.

4. Quomodo resipuit? 236.

5. Cur & quomodo *Ammonis* incestum ultus est *Absolon*? fol. 238.

6. Qualis *Absolonis* seditio, ejúsque mors? fol. 240.

7. Cur & quomodo in Populum pestis sæviit? fol. 247.

8. Quomodo *Adoniæ* suppressa ambitio? & qualis *Davidis* mors? fol. 249.

9. Quanta fuit *Salomonis* felicitas, ejúsque sapientia? fol. 253.

10. Qualis magnificentia Templi? fol. 257.

11. Quis *Salamonis* lapsus, pœna, mors? fol. 276.

12. Quæ Observationes Christianæ? 281.

Synopsis quæ? *Mel.* Quæ synopsis instructionis secundæ?

Leuc. Rex Arcam[1] transfert: dat pœnas[2] impius *Hannon*:

Labitur[3] ipse *David*, surgit[4]; mox corruit[5] *Ammon*

Thamaris incestu: perit *Absolon*[6] ille rebellis:

Sævit[7] pestis: *Adoniæ* turbatus ab ausu[8]

Rex moritur: *Salomonem* ornat[9] Sapientia, Templum

Commendat, *Venus* obscurat[11], sternitque *Cupido*.

IN-

INSTRUCTIONIS III.

Synopsis atque Selectus.

De fatis Regum Israël.

Ex instructione tertia

Quæstionum selectus quis?

M*Elander*. Quis quæstionum selectus instructionis tertiæ?

Leucotheus. 1. Quomodo facta *Davidici* Regni divisio? quæ causa, occasio? fol. 285.

2. Quale regimen *Jeroboami*? cur & quomodo inducta Idololatria? fol. 286.

3. Quomodo punita *Jeroboami* perfidia? fol 288.

4. Quis Regum *Israël* scelestissimus? & cur? quomodo periit? fol. 291.

5. Quomodo sub *Joramo* Rege excisa tota *Achabi* Posteritas à *Jehu*? fol. 300.

6. Quale regimen Regis *Jehu*, & Successorum è sua stirpe? fol. 302.

7. Quæ sub *Phacée* corruentis Regni præludia? cur sub *Osea* excisum, à quo & quomodo? fol. 306.

8. Terra *Israël*, à quibus postmodùm habitata, & quomodo? fol. 307.

9. Quæ *Eliæ* Prophetæ fata? fol. 308.

10. Quæ & quanta *Elisæi* prodigia? fol. 312.

11. Quæ senioris *Tobiæ* virtutes? quæ junioris peregrè euntis fata? utriúsque fortuna, mors? 321.

12. Quæ observationes Christianæ? fol. 328.

Mel. Quæ synopsis instructionis tertiæ? *Synopsis quæ?*

Leuc. Hæc.

Sceptra ubi divisit[1] *Roboam*, duo Numina[2] firmat

Iero-

Ieroboam[3]: perit inde miser: perit impius *Achab*,[4]
Totáque Posteritas, ultus[5] quam vindice ferro
Est *Jehu*[6]: sed & iste pari per crimina fato
Sublatus cum stirpe: ipsum dum denique[7] Regnum
Corruit,[8] orbatas *Syris* habitantibus oras.
Intereà Zelo *Elias*,[9] virtute stupenda
Lucet *Elisæus*,[10] splendet pietate *Tobias*.[11]

INSTRUCTIONIS IV.

Ex instructione tertia.

Synopsis atque Selectus.

De Fatis Regum Juda.

Quæstionum selectus quis?

MElander. Quisnam Quæstionum selectus instructionis quartæ?

Leucotheus. 1. Quæ *Roboami* fata? quomodo punitus & mortuus? 332.

2. Quare *Asæ* initium bonum, finis illaudatus? fol. 334.

3. Quales *Josaphati* virtutes? maculæ? mors? fol. 336.

4. Quid *Joramus*? *Athaliæ* tyrannis quanta? & quomodo punita? fol. 339.

5. *Joas* sub Tutore optimus cur? cur eo defuncto pessimus? fol. 341.

6. Quid de *Amasia*? de *Osia* quid? cur leprâ percussus? fol. 344.

7. Cur

7. Cur *Achaz* Regum pessimus? quomodo punitus, & mortuus? fol. 354.

8. *Ezechias* cur piissimus? quæ pietatis accepit præmia? 348.

9. *Manasses* pœnitens cur? & quomodo? fol. 353.

10. *Josias* Religiosus cur? mortuus quomodo? fol. 354. *Joachim* cur, & quomodo captus? fol. 356.

11. *Sedecias* cur, & quomodo Regno spoliatus? fol. 358.

12. Quæ Observationes Christianæ? fol. 361.

Mel. Quænam synopsis instructionis quartæ de fatis Regum *Juda*? *Synopsis quar.*

1 2
Leuc. Ecce perit *Roboam*: moritur malè credulus *Asa*:

3 4
Sed floret *Josaphat*: sævit *Joramus*, & atrox

5
Athaliæ fastus: pius est Pupillus *Joas*:

6
Stultus *Amasias*: leprâ percussus *Osias*:

7 8
Pessimus est *Achaz*: est optimus *Ezechias*:

9 10
Manassè attritus: *Josias* Religiosus:

11
Sub *Ioachim* nutat, perdit *Sedecia* coronam.

INSTUCTIONIS V.
Synopsis atque Selectus.
De Judæorum fatis durante captivitate.

Ex instructione quinta quinam Quæstionum selectus?

MEl. Quis quæstionum selectus instructionis quintæ de *Iudæorum* fatis sub Monarchia *Assyrica* durante capti-

vitate *Babylonica* per annos ſeptuaginta?

Leuc. 1. Obſidio Urbis *Bethuliæ* quæ? fol. 368.

2. Liberata à quo, & quomodo? fol. 369.

3. Qualis *Juditha* triumphus, mors? fol. 371.

4. Caſtitas *Suſannæ* à quo, & quomodo tentata? fol. 372.

5. Quomodo accuſata, & condemnata? fol. 374.

6. Quomodo, & à quo liberata? fol. 374.

7. In *Danielis* pueritia memorabile quid? fol. 383.

8. Quid in Juvenili ætate? fol. 384.

9. Quid in virili? fol. 387.

10. Quid in ejus ſenectute? fol. 390.

11. Poſt Templi everſionem quænam fuêre *Iudææ* fata? *Godolias* occiſus quomodo? & à quo? fol. 394.

12. Quænam Obſervationes Chriſtianæ? fol. 396.

Synopſis quæ? *Mel*. Quænam ſynopſis inſtructionis quintæ de *Iudæorum* fatis, ſeu Monarchia *Aſſyrica* durante captivitate *Babylonica* per annos ſeptuaginta?

Leuc.

Bethuliam [1] dum fata premunt, pia liberat [2] Urbem

Iuditha, inſolito [3] victrix decorata triumpho.

Sic quoque [4] preſſa gemit, lugétque [5] oppreſſa *Suſannæ*

Integritas, ſed mox [6] *Danielis* voce triumphat.

So-

7 8
Sobrius est Juvenis *Daniel*, sed grandior Augur;
9 10
Dum vir Zelotes; seniorque est prodigiosus:
11
Godolias patriis succumbit denique fatis.

§. VI.
CAPITIS VI
Synopsis.
Seu Epocha sexta.
Captivitas sublata per Cyrum.
sive
Status Pontificum, & Majorum à captivitate soluta, usque ad Christum natum.

Caput sextum. Ex instructione prima.

INSTRUCTIONIS I.
Synopsis atque Selectus.
De Judæorum fatis sub Regibus Persiæ, seu Monarchia Persica, cui respondet Templi restauratio.

Quæstionum selectus quis?

MEl. Quis quæstionum selectus instructionis primæ?

Leuc. 1. Captivitas *Babylonica Judæorum* soluta à quo? & cur? fol. 400.

2. Quo Duce, & quomodo? fol. 400.

3. Quomodo Templi restauratio impedita? fol. 401.

4. Promota à quo & qua occasione? fol. 402.

5. Quomodo, quando, & sub quo perfecta Templi fabrica? fol. 403.

6. Status Reipublicæ ab *Esdra* ordinatus quomodo? fol. 405.

7. A *Nehemia* quomodo perfectus? fol. 407.

8. *Esteris* elevatio ad solium qualis? fol. 409.

9. Qualis illius afflictio ob Populum perdendum? fol. 410.

10. Qualis authoritas ad liberandum? fol. 412.

11. Quomodo Talionis pœna in *Amanum* Authorem devoluta? fol. 413.

12. Quæ Observationes Christianæ? fol. 415.

Synopsis quæ? *Mel.* Quænam synopsis instructionis primæ?

Leuc.

Vincula [1] dissolvit *Cyrus*, [2] Populúmque reducit

Zorobabel: sed quæ [3] livor nova Templa moratur,

[4] Promovet *Histaspes*, *Solymámque* [5] redintegrat Urbem:

Esdra [6] colit mores; *Nehemias* [7] mœnia, Legem:

Esteri intereà [8] Sors offert sceptra, sed *Amman*

[9] Gaudia perturbat; furcâ qui [10] pendulus altâ

Ludentis [11] secum vidit ludibria Sortis.

INSTRU-

INSTRUCTIONIS II

Synopſis atque Selectus.

De Judæorum fatis ſub Monarchia Græca, ſeu Regibus Syriæ & Ægypti, cui reſpondet regimen Machabæorum.

MElander. Quis quæſtionum ſelectus Inſtructionis ſecundæ? *Ex inſtructione ſecunda Quæſtionum ſelectus quis?*

Leucotheus. 1. Quid in *Judæa* memorabile ſub *Alexandro Magno?* fol. 419.

2. Sub *Ptolomæo Lago, Ægypti* Rege, Reſpublica *Judæorum* paſſa quid? fol. 420.

3. Quomodo ſub *Ptolomæo Philadelpho, Ægypti* Rege, relevata denuò? fol. 420.

4. Quæ *Judæorum* fata ſub *Philopatore Ægypti* Rege? fol. 421.

5. Quomodo Templum juſſu *Seleuci*, Regis *Syriæ*, ab *Heliodoro* infeſtatum? fol. 422.

6. Quæ *Judææ* fata ſub *Antiocho Epiphane* Rege *Syriæ*? fol. 426.

7. Quinam Legis Zelotes tyrannidi ſe ſe oppoſuêre? fol. 428.

8. Quinam *Heroës* tyrannidis tantæ vindices ſuſcitati à DEO ex *Aſſamonæa* ſtirpe? fol. 430.

9. *Judæ Machabæi* victoriæ quantæ, & quales? fol. 431.

10. Quales *Jonathæ*, & *Simonis*? 439.

11. Quomodo ſub *Ariſtobulo, Jannæo, Hyrcani* filiis Reſpublica in pejus lapſa denuò? fol. 443.

12. Quæ Obſervationes Chriſtianæ? fol. 447.

Synopsis quæ? *Mel.* Quæ instructionis hujus synopsis?
Leuc.

1 2
Dum parcit *Macedo, Solymæam* sævit in Urbem
3
Lagus: captivos relevat *Philadelphus*: at amens
4 5
Vexat *Philopator*: Templum spoliare *Seleucus*
6
Nititur: *Antiochus* totam subvertere Gentem
7
Ausus: at insanis *Eleazarus* obstitit ausis:
8
Vim repulit *Mathathia* Parens, quam fortis *Judas*
9 10
Non semel attrivit, *Jonathásque, Simónque* repressit:
11.
Lapsa sub *Hyrcanis* demum est hæc gloria stirpis.

INSTRUCTIONIS III.
Synopsis atque Selectus.
De Judæorum Fatis sub Monarchia Romana, cui respondet regimen Herodianorum.

Ex instructione tertia. selectus Quæstionum Quis?

MElander. Quis quæstionum selectus instructionis tertiæ?

Leucotheus. 1. Quomodo *Judææ* Regnum à *Pompeio Romanis* subjectum, & qua occasione? fol. 450.

2. Quibus gradibus *Antipater* in *Judææ* solium se suósque elevare studuit? fol. 452.

3. Quomodo *Herodes* eodem denique potitus? fol. 453. & firmatus? fol. 456.

4. *He-*

4. *Herodis* astutia quanta in deviñciendo sibi *Cæsare*, Populóque *Judaico*? fol. 459.

5. Quanta ejus crudelitas in domestios æquè, ac subditos? fol. 461.

6. Ultima rabies, & mors qualis? fol. 463.

7. Quæ successio, Regníque divisio inter *Herodis* filios? fol. 465.

8. *Herodis Antipæ* fata quæ? fol. 466.

9. Quæ *Herodis Agrippæ I.*? fol. 468.

10. Quæ ejus felicitas in obtinendo Regno? fol. 469.

11. Quis ejus infelicitas in amittendo unà cum vita? fol. 470.

12. Quæ Observationes Christianæ? fol. 474.

Mel. Quæ instructionis hujus synopsis? Synopsis quæ?

1 2
Leuc. *Romæ* subjectis *Solymis*, mox quærere Sceptra

3
Antipater: Solium conscendere, séque tueri


4
Herodes: cujus famosa astutia; in omnes

6
Horribilis rabies, proprio tandem obruta fato.

7 8
Diviso in Natos Regno, mox *Antipæ* cœpit

9
Sævire: *Agrippæ* Sors primò adversa, deinde

10 11
Prospera, sed mœstis fatalis denique fatis.



CAPITIS VII
Synopsis.
Seu Epocha Septima.
Christus natus.

De statu Regni Judaici sub Romanis Prætoribus usque ad ultimam ejus eversionem.

INSTRUCTIONIS I
Synopsis atque Selectus.

De iis, quæ contigêre usque ad Christi Ascensionem, seu succincta vitæ Christi, & mortis epitome.

Caput septimum. Ex instructione prima Quæstionum selectus quis?

MElander. Quis quæstionum selectus instructionis primæ?

Leucotheus. 1. Qualis *Judææ* status *Politicus* circa tempora *Christi* nati? fol. 4. C.

2. Qualis status *Palæstinæ Ecclesiasticus* circa tempora eadem? fol. 7. C.

3. Status Orbis universi qualis tunc temporis? fol. 13. C.

4. Quæ *Testamenti novi* divisio, & synopsis? fol. 15. C.

5. Quæ memorabilia primo tempore vitæ *Christi*, quod præcessit Ministerium ejusdem? fol. 18. C.

6. Quæ secundo tempore, quo duravit Ministerium, & præcipuè anno primo prædicationis? fol. 20. C.

7. Quæ anno secundo? fol. 22. C.

8. Quæ tertio? fol. 24. C.

9. Quæ

9. Quæ memoratu digna tertio tempore vitæ *Christi*, quo completum ab eodem est Ministerium, à resuscitato *Lazaro* usque ad Cœnam ultimam? fol. 28. C.

10. Quæ Passionis Dominicæ series? fol. 32. C.

11. Quæ Resurrectionis usque ad gloriosam in Cœlos ascensionem? fol. 36. C.

12. Quæ Observationes Christianæ? fol. 39. C.

Mel. Quæ hujus Instructionis synopsis? *Leuc.*

Quæ instructionis primæ epitome?

Oppressâ[1] *Solymâ*, scisso[2] per schismata Templo,
Orbe suis merso[3] vitiis, nova dogmata[4] *Christus*
Attulit: Hic postquàm conceptus[5], natus, & annos
Triginta latuit[6], docuit[7], Mundúmque beavit[8]
Virtutum exemplis, ac per miracula mille
Restituit[9]: tandem passus[10] non fanda, Crucique
Affixus, Patrium conscendit[11] victor Olympum.

INSTRUCTIONIS II.
& Ultimæ
Synopsis atque Selectus.
De iis, quæ acta sunt â Christi Ascensione usque ad Templi & Regni Judaici eversionem.

Ex instructione ultima quis Quæstionum selectus?

M*Elander.* Quis quæstionum selectus instructionis ultimæ?

Leuc. 1. Quæ portenta excidii prodroma Cœlum *Jerosolymæ* dederat? fol. 54. C.

2. Quæ belli *Judaici* causa per *Florum* data? fol. 55. C. quæ per seditiones in & extra Urbem? fol. 55. C.

3. Quis belli progressus sub *Cestio*? *Jerosolyma* quomodo oppugnata? Cur soluta obsidio? fol. 59. C.

4. Qui belli successus in *Galilææ*, *Vespasiano* pugnante, defendente *Iosepho*? *Iotapata* & aliæ Urbes expugnatæ quomodo? fol. 61. C.

5. Quæ Zelotarum intestina dissidia, bella? Quæ nova *Simonis* seditio extra Urbem? fol. 65. C.

6. Bellum *Iudaicum* sub *Tito* finitum quomodo? quæ obsidionis præludia? fol. 70. C.

7. Quæ obsidionis initia, murus duplex quomodo expugnatus? fol. 72. C.

7. Qualis obsidionis progressus? quomodo Urbs undique coarctata, & vallo circumdata? famis rabies quanta? fol. 75. C.

9. Finis obsidionis qualis? quæ expugnatio Templi, Urbis inferioris, & superioris? quanta strage? fol. 77. C.

10. Quomodo Urbs unà cum Regno subacta? quale utriusque excidium? fol. 81. C.

11. Quæ *Iudæorum* fata post Regni *Iudaici* eversionem? fol. 84. C.

12. Quæ Observationes Christianæ? fol. 87. C.

Quæ Synopsis? *Mel.* Quæ instructionis ultimæ synopsis?

Leuc.

Prodroma[1] signa Polus, belli præludia[2] *Florus*,
Ansam *Zelotæ*, primordia[3] *Cestius* Urbi

Obses-

4
Obſeſſæ dederat: *Galilaam Veſpaſianus*
5
Dum tandem ſubigit, propriis malè preſſa ruinis
6
Iudæa atteritur: *Solyma Titus* imminet, Urbem
7 8
Cingit, & horrendo concludit mœnia vallo.
9 10
Expugnat tandem, Templum devaſtat, & Urbem;
11
Diſperſâ totum *Iudæa* Gente per Orbem.

§. VIII.

CAPITIS VIII.

Synopſis.

De concomitante notitia requiſita ad faciliorem Hiſtoriæ Sacræ intelligentiam.

INSTRUCTIONIS I.

Synopſis atque Selectus.

De notitia Geographica Terræ Sanctæ.

Caput octavum. Quæſtionum ſelectus ex Geographia ſacra Quis?

MEl. Quis quæſtionum Geographicarum ſelectus pro Juventute Gymnaſtica ex inſtructione prima?

Leuc. 1. Nomina *Chanaan* quæ, & quot? cur talia? fol. 115. C.

2. Qualis diviſio prima *Palæſtinæ* ſub *Chanaitis?* in quot Gentes? fol. C.

3. In quot Regna & qualia? fol. 117. C.

4. Quænam diviſio ſecunda ſub *Iſraëlitis* facta à *Joſue?* fol. 119. C.

5. In

5. In Tribu *Iuda* quænam Urbs præcipua? fol. 119. C.

6. In Tribu *Benjamin* quænam Metropolis, & quæ illius fata memorabilia? fol. 123. C.

7. Quænam Urbs celeberrima in Tribu *Dan*? fol. 129. C.

8. Quænam in Tribu *Simeon*? fol. 131. C.

9. Quænam in Tribu *Ephraim*? fol. 135. C.

10. Quænam in Tribu *Zabulon*? fol. 139. C.

11. Quænam in Tribu *Nephtali*? fol. 142. C.

12. Qualis divisio tertia, facta sub *Romanis* Regibus, dum viveret *Christus*? fol. 158. C.

Quæ synopsis? *Mel.* Quæ synopsis artificialis?

Leuc. Hæc, per quatuor Terræ sanctæ divisiones.

Prima *Cananæas* [1] numerat divisio [2] Gentes,
Septem [3] distinctas Regnis: mox altera censet
Bis [4] senas ex sorte Tribus, ubi digna notatu
Bethlem [5], cum *Solyma* [6]: cum *Joppe* [7], *Gaza* [8],
Samara [9],
Nazaret [10], atque *Lais* [11]: divisio [12] tertia partes
Enumerat quatuor: quartam modò *Turca* recenset.

INSTRUCTIONIS II.
Synopsis atque Selectus.
De concomitante notitia Chronologica.

Ex Chronologia in genere. MEl. Quis quæstionum Chronologicarum selectus pro Juventute Gymnastica? *Leuc.*

Leuc. Duplex : in genere, & in ſpecie. *Quot anni usque ad Chriſtum natum?*

Mel. Dic in genere , quot annis ſteterit Mundus usque ad *Chriſtum*?

Leuc. Juxta Chronologorum plurium calculum 4052.

Mille quater quinquaginta duo inOrbe fluebant
Anni, dum melior per *Chriſtum* cœperat ætas.

Mel. Per quot ætates, ſeu epochas diſtinguitur hoc tempus , ſeu Hiſtoria ſacra? *Ætates quot in Teſtamento veteri?*

Leuc. Per ſex: *Prima* continet Statum Patriarcharum ante diluvium. *Secunda* StatumPatriarcharum,qui coæviHominum diſperſioni. *Tertia* Statum Patriarcharum, quibus factæ à DEO promiſſiones. *Quarta* Statum Judicum. *Quinta* Statum Regum. *Sexta* Statum Pontificum.

Mel. Quot ætates continet Sacra Hiſtoria novi Teſtamenti ? *Quot in novo?*

Leuc. Unicam, quæ tamen in tres inſtructiones commodè dividitur.

Mel. Quot ergo ſunt Epochæ totius Hiſtoriæ? *Epochæ totius Hiſtoriæ ſacræ quæ & quot?*

Leuc. Septem, quæ omnes littera *C.* notatæ, Juventutis memoriæ commendantur.

Prima *Creat*; *Cataclyſmi* undas docet altera; *Abramum*
Tertia dat *Circumciſum*; fert quarta cruentam
Ægypto *Cladem*; fit *Conſecratio Saulis*
In quinta; Patriæ *Captivos* ſexta remittit;
Septima dat *Chriſtum*, quam Templi incendia claudunt.

Selectus Quæſtionum Chronologicarum particularis ex quavis epocha.

§. I.

Mel. Quis quæſtionum Chronologicarum ſele-

Ex Chronologia prima Epochæ. ſelectus particularis ex quavis epocha? & in ſpecie ex Epocha prima?

Leuc. Qui ſequitur.

Duratio Epochæ primæ quanta? *Mel.* Quot annos prima Epocha continet?

Leuc. Sedecim ſæcula ſuperat, annos nempe 1656.

Da *primum* & *ſextum*, tum *quintum* & denuò *ſextum*
Diluvio numerum: ſic prima fluxerat ætas.

Anni Adami Quot? *Mel.* Quæ ætas *Adami?*

Leuc. 930.

Nongentos triginta annos expleverat *Adam.*

Mathuſalem Quot? *Mel.* Quot vixit annos *Mathuſalem* dierum antiquiſſimus?

Leuc. 969. annos.

Scribe novem, ſex, atque novem, tot vixerat annos *Mathuſalem.*

§. II.

De Notitia Chronologica Epochæ ſecundæ.

Duratio epochæ ſecundæ Quanta? *Mel.* Quot annos ſecunda hæc epocha numerat?

Leuc. Fere quatuor ſæcula: annos nempe 383.

Annos tres octoginta ſuperadde trecentis,
Quam petis ætatem numerus dabit iſte ſecundam.

§. III.

De Notitia Chronologica Epochæ tertiæ.

Duratio epochæ tertiæ Quanta? *Mel.* Quot annos hæc Epocha continet?

Leuc.

Leuc. Quinque sæcula circiter: annos nempe 505.

Quinque, & quingentas habet ætas tertia messes.

Mel. Quando natus est *Abram*? *Nativitas Abrami Quando?*

Leuc. anno Mundi 2039.

Sume novem triginta annos, duo millia junge,
Si cupis *Abrami* ter faustæ exodia lucis.

Mel. Quo anno natus est *Moyses*? *Moysis.*

Leuc. Anno Mundi 2464.

Scribe *duo*, his *quartum*, *sextum* tum denuò *quartum*,
Fac, jungas numerum, dabit iste exordia *Moysis*.

Mel. Quot annos vixit *Abraham* & *Isaac*? *Ætas qualis? Abrami? Isaac?*

Leuc. *Abraham* vixit annos 175. *Isaac* 180.

Centenos, decies septenos, quinque per annos
Vixit *Abram*: centum octoginta expleverat *Isaac*.

Mel. Quot annos vixit *Ioseph* & *Iacob*?

Leuc. *Ioseph* annos vixit 110. *Iacob* 147. *Josephi? Jacobi?*

Centum annis adjunge decem, tot vixit *Ioseph*:
Adde his triginta septem, tot vixit *Iacob*.

§. IV.

De notitia Chronologica Epochæ quartæ.

Mel. Quot annos hæc Epocha numerat? *Duratio Epochæ quartæ Quanta?*

Leuc. Quatuor sæcula circiter: annos nempe 418.

Quarta quater centum, ter senos fluxit in annos Ætas.

Mel. Quo anno Mundi facta Clades *Ægypti*, Exodus, Lex data? *Clades Ægypti, Exodus, Quando? 2544.*

Leuc. Anno Mundi 2544.

Scribe *duo*, tum *quinque*, subin bis *quattuor* adde:

Ordo

Ordo dabit tempus, quo clades *Memphica*, *Mosis*
Exodus, & gemino *Lex* ſcripta à Numine ſaxo.

Moyſis ætas. *Mel*. Quot annos vixit *Moyſes*?

Leuc. Vixit annos 120.

Centum bis denos *Moyſes* numeraverat annos.

Ætas Joſue. *Mel*. Quando *Ioſue* mortuus, & quænam illius ætas?

Leuc. Mortuus eſt anno Mundi 2600. ætatis anno 110.

Sexcentos bis mille annos expleverat Orbis,
Sed centum atque decem *Ioſue*, cùm lumina clauſit.

§. V.

De Notitia Chronologica Epochæ quintæ?

Duratio Epochæ quintæ quanta? *Melander* quot annos hæc Epocha numerat?

Leucotheus: ultra quinque ſæcula: annos nempe 554.

Quingentis quinquaginta ſi quattuor addas
Annos, quinta fluet Regum memorabilis ætas.

Quo anno Dedicatio Templi. *Mel*. Quo anno perfectum, ac dedicatum à *Salomone* Templum?

Leuc. Anno Mundi 3030.

Triginta, ter mille annos numeraverat Orbis
Cùm celebrata tui *Salomon* ſolemnia Templi.

Ætas & Regimen Davidis? *Mel*. Quot annos regnavit, vixítque *David*?

Leuc. 40. annos regnavit, 70. vitæ complevit, mortuus anno vitæ ſeptuageſimo primo inchoato.

Imperii quatuor, ſeptémque decennia vitæ

Rex

Rex *David* numerat, nunquam non vivere dignus.

Mel. Quot annos regnavit, vixitque *Salomon?*

Ætas & Regimen Salomonis.

Leuc. 40 annos regnavit, vixit autem 60.

Sex vixit *Salomon*, quatuórque decennia rexit.

Mel. Quando facta *Iudaici* Regni divisio?

Divisio Regni Judaici facta quando?

Leuc. Anno Mundi 3060.

Ter mille & sexaginta numeraverat annos
Mundus, *Judæi* cum scissa est gloria Regni.

Mel. Quando destructum est Regnum *Israël*, & quot annos duravit?

Leuc. Destructum est anno Mundi 3314, postquàm duravit annos 255.

Quot annos stetit, & quando destructum Regnum Israël?

Bis septem ter mille annos, adjunge trecentis,
Hæc *Israëlitici* funesta excidia Regni:
Lustra decem steterat post annos quinque ducentos.

Mel. Quando destructum Regnum *Juda*, & quot annis duravit?

Quando Regnum Judæ destructum? & quot annis duravit?

Leuc. Destructum est anno Mundi 3447: duravit autem per annos 515.

Tertius & *Quartus*, *Quartúsque* & *Septimus* Orbis
Sit numerus, primam *Solymæ* dabit iste ruinam.
Quingentos terquinque annos regnavit *Iudas*.

Mel. Quot annis duravit captivitas *Babylonica?*

Quot annis duravit captivitas Babylonica?

Leuc. 70.

Judæis Babylon dominata decennia septem.

§. VI.

De Notitia Chronologica Epochæ sextæ.

Duratio Epochæ sextæ quanta?

Mel. Quot annos duravit hæc Epocha?

Leuc. Circiter quinque ſæcula: annos nempe 537.

Annis triginta ſeptem, fac, ſæcula quinque
Addas, hæc ſexta eſt, quam Mundus vixerat, ætas.

Mel. Quo anno Mundi *Zorobabelis* Templum de novo erectum, & abſolutum?

Annus Templi ſecundi quis?

Leuc. A. 3537.

Quingentis ter mille annis trigeſima meſſis
Septimáque accedat, Templum dabit iſta ſecundum.

§. VII.

De Notitia Chronologica Epochæ ſeptimæ.

Chriſtus quando natus?

Mel. *Chriſtus* quando natus?

Leuc. Anno Mundi 4052.

Mille quater quadraginta duo in Orbe fluebant
Anni, dum melior per *Chriſtum* cœperat ætas.

Quando mortuus?

Mel. *Chriſtus* quando mortuus, reſurgens, & aſcendens in Cœlum?

Leuc. Anno Mundi 4086. ætatis 34. inchoato.

Quater mille octoginta ſex concipe meſſes,
Si cupis aſſertam, *Chriſto* moriente, ſalutem.

Mel.

Mel. In quem annum à *Christo* nato incidit famoſum excidium Regni *Iudaici*, & Urbis *ſolymæ*? *Qualis annus Excidii Jeroſolymitani?*

Leuc. In ſeptuageſimum.

Poſt natum numera ſeptena decennia *Christum*,

Si cupis infauſti *Solymæi* incendia Templi.

INSTRUCTIONIS III.

Synopſis atque Selectus.

De concomitante notitia Genealogica.

Instructionis tertiæ Synopſis de notitia Genealogica.

MEl. Quis quæſtionum Genealogicarum ſelectus pro Juventute Gymnaſtica?

Leuc. Sequens.

§. I.

De Notitia Genealogica Epochæ primæ.

Mel. Quot Patriarchas prima Epocha numerat?

Leuc. Decem.

1 *Adam*, 2 *Sethúsque* Parens, 3 *Enos*, atque 4 *Cainan*, *Patriarchæ ante diluvium quot? 10.*

Primus *Adam*, *Sethúsque* Parens, *Enos*, atque *Cainan*,

5 *Malalael*, 6 *Jaredus*, 7 *Enoch*, 8 quem *Mathuſalemus*,

9 10
Lamech cum *Noë*, *Semi* genitore, secutus.

§. II.

De Notitia Genealogica Epochæ secundæ.

Patriarchæ coævi Hominum dispersioni quot? 10.

Mel. Quot Patriarchæ, coævi Hominum dispersioni?

Leuc. Decem, nisi addas *Abramum*, qui pertinet ad classem tertiam.

1 2 3
Semo, *Arphaxadus*, cui *Luca* teste *Cainan*

4 5 7
Est genitus: tum *Salem*, *Heber*, *Phaléque*,

7
Reúque:

8 9 10
Hos *Sarug*, *Nachor*, *Tharéque*, *Abrámque* secuti.

§. III.

De Notitia Genealogica Epochæ tertiæ?

Patriarchæ, quibus factæ à DEO promissiones, ordine Nativitatis, Qui? & quot? 12.

Mel. Quinam Patriarchæ, quibus factæ à DEO promissiones?

Leuc. Ordine Nativitatis ita enumerabis.

Fausta trias, *Abramus*, *Isac*, Genitórque *Jacobus*,

1 2 3
Quem *Ruben* primus, *Simeónque*, *Levíque* secuti:

4 5 6
Tum *Juda*, & *Danus*; tum læto *Nephtalis* ortu:

7 8 9
Mox *Gadus*, atque *Isachar*: sed *Zabulon*

10
excipit Aser,

Jose-

11 2
Josephum sequeris spes *Benjamin* ultima Patris.

Ex quavis Jacobi conjuge quinam Filii?

Mel. Dic, quinam filii ex quavis *Iacobi* conjuge prodiêre?

Leuc. Prodiit è *Lia* Ruben, Simeónque, Levíque,
Isachar, & Juda, Zabulon, quêis jungito Dinam.
Racheli Ioseph, & Benjamin ille doloris
Filius: at *Balæ* cum Dano, Nephtalis: Aser
Cum Gado *Zelphæ* donati â Numine Nati.

§. IV.

De Notitia Genealogica Epochæ quartæ.

Quot Judices?

Mel. Quot & quinam sunt Judices, ac quis illorum ordo?

Leuc. Sedecim. 16.

1 2 3 4
Dux Moyses, *Iosue*, *Othoniel*, successor *Ahodus*,
5 6 7
Debbora ac *Barac*, *Gedeon*, malus *Abimelechus*,
8 9 10
Thola, *Iair*, *Iephte*, post quem succurrit
11
Abesan
12 13 14 15
Ahialon, *Abdon*, *Samson*, *Helíque* Sacerdos,
16
Ac Pater infelix; *Samuel* quos ordine claudit.

§. V.

De Notitia Genealogica Epochæ quintæ.

Quot, & quinam Reges Judæ?

Mel. Quot Reges *Iudæ*, & quænam illorum series?

Leuc. fuerunt 22. hoc ordine. 22.

Saul[1], *David*[2], *Salomon*[3], *Roboam*[4] divisus,
Abias[5]:
Asa[6], *Josaphatus*[7], *Joramus*[8], & *Ochozias*[9],
Joas[10], *Amasias*[11], *Oséas*[12], *Joathan*[13], *Achaz*[14],
Quos *Ezechias*[15] sequitur, *Manasses*[16], & *Ammon*[17],
Josias[18], *Sellum*[19], *Joakim*[20], *Jechoniæ*[21], maláque
Sorte *Sedecias*[22], Solio spoliatus avito.

Quot, & quinam Reges Israël? 19.

Mel. Quinam Reges *Israël*, & quo ordine?

Leuc. Fuêre 19, quos ista series refert.

Jeroboam[1] primus, sequitur *Nadab*[2], atque
Baësa[3]:
Mox *Elæ*[4] *Zamri*[5]; *Zamri* successerat *Amri*[6],
Achab[7], *Ochozias*[9], *Joram*[9], cum vindice *Jehu*[10]:
Hunc *Ioachas*[11], natúsque *Ioas*[12], altérque secutus
Jeroboam[13], *Zachariæ*[14], brevi cui tempore
Sellum[15]
Suffectus: tandem *Manahen*[16], *Phacéia*[17],
Rekab[18],
Atque *Ozéa*[19] suo perdit diademata fato.

§. VI.

§. VI.

De Notitia Genealogica Epochæ ſextæ.

Mel. Quot & quinam fuêre Duces, dati *Iſraëlitico* Populo poſt captivitatem *Babylonicam?*

Quot Duces Iſraëlitico Populo dati ſub Monarchis Perſicis? 7.

Leuc. Sub Monarchis *Perſicis* ſeptem:

Zorobabel[1], *Ioachímque*[2] Duces, *Eliſabus*[3], & *Eſdras*[4],
Quos *Nehemia*[5] Pater, *Ioadas*[6], *Ionathásque*[7] ſecuti.

Mel. Quinam, & quot fuêre Duces atque Pontifices, usque ad *Machabæos?*

Quot uſque ad Machabæos? 8.

Leuc. Octo.

Jaddus[1], *Onia*[2], *Simon*[3], *Eleazarus*[4], atque *Manaſſes*[5],
Alter *Onia*[6], *Simon*[7] alter, térque alter *Onias*[8].

Mel. Quinam ex *Machabæa* Familia *Iſraëlitico* Populo, cum ſumma poteſtate, tam in ſacris, quàm profanis præfuêre?

Ex Genealogia Aſſamonæa Duces Quot? 9.

Leuc. Novem.

Primus erat *Matathia*[1] Parens, erat alter *Iudas*[2],
Jonathas[3], atque *Simon*[4], *Hyrcanus*[5], *Ariſtobulus*[6];

Hos gemini fratres *Hyrcanus*[7], *Ariſtobolus*[8],
Et tandem *Antigonus*[9] malè fauſta ſorte ſecutus.

Ex Genealogia Herodiana quinam Judææ Reges, & Principes? 6.

Mel. Quinam ex *Herodiana* Familia fuêre Reges *Iudææ*?

Leuc. Sequentes ſex.

Æmulus *Antipater*[1], ſed Rex diademate *Magnus*
Herodes[2], *Archelaúsque*[3] *Ethnarcha*, *Tetrarcha*
Antipas[4], *Agrippæ*[5] data Regna, & Regis honores:
At tenuit ſolos *Agrippa*[6] ſecundus honores.



HISTO.

HISTORIA SACRA

Ad usum Gymnasticæ Juventutis per sex Tabulas Sciagraphicas ad unum oculi obtutum proposita.

TABULA I.

Continens Epocham primam à Creatione Mundi usque ad Diluvium per A. 1656.

Ætas prima per A. *1656.* à Creatione Mundi usque ad Cataclysmum.	Instructio prima.	*1.* Creantur omnia per sex dies. 2. Lux[1], Cœlum[2], plantæ[3], stellæ[4], cum piscibus ales[5], cum brutis[6] Homines.
	Instructio secunda.	*1.* Protoparentum tentatio. *2.* Lapsus. *3.* Pœna. 4. Exilium. *5.* *Abelis* cœdes. *6.* *Caini* interitus. *7.* Mors Protoparentum. *8.* Progenies proba per *Sethum*, *Enoch* translatum, *Mathusalem* longævum, *Noëmum*. 9. Progenies reproba per *Cainum* primum latronem; *Henoch* primum civem; *Lamech* primum bigamum; *Iubal* primum musicum; *Tubalcain* primum fabrum: quorum initiales litteræ per vocem *Chlit* exprimuntur.

TABULA II.

Continens Epocham secundam à Cataclysmo A. 1656. usque ad Cunas Abrami A. 2039.

Ætas secunda per annos 383. Status Patriarcharum ante Gentium dispersionem. — Instructio unica. — 1. Luxuria diluvii causa. 2. Arcæ fabrica 300 cubitos longa, lata 50, alta 30. 3. Ingressæ reptilium species 25. Animalium 150. totidem volucrum. 4. Diluvium per 40 dies. 5. Mora in Arca per annum & 10. dies. 6. Agricultura *Noëmi*. 7. Maledictio *Chami*. 8. Turris *Babel*. 9. Dispersio Gentium. 10. Idololatriæ origo per *Belum*. 11. Religio vera fere extincta.

TABULA III.

Continens Epocham Tertiam ab Abrami Cunis 2039. usque ad cladem Ægypti seu Moysen 2544.

Instructio prima. — 1. *Abrami* vocatio prima ex *Ur*; secunda ex *Charan*. 2. *Lothi* disjunctio. 3. *Abrami* victoria de quatuor Regulis. 4. Ejus Hospitalitas erga tres Angelos. 5. Fata *Pentapolis*. 6. *Ismaëlis* ejectio. 7. *Abrami* tentatio. 8. *Rebeccæ* electio in sponsam *Isaaci*. 9. Natales *Esau* & *Iacob*. 10. Primogenita vendita. 11. *Rebeccæ* astu prærepta.

Ætas Mundi tertia per annos 505. Status Patriarcharum, quibus factæ à Deo promissiones.

Instructio secunda.

1. *Iacobi* peregrinatio *in Mesopotamiam ad Labanum*. 2. Ejus servitus. 3. Nuptiæ cum *Lia*, & *Rachaële*. 4. Nati 12. Filii. 5. Reditus. 6. *Esavi* occursus pacificus. 7. *Dinæ* fatalis casus. 8. *Isaaci* mors. 9. *Iobi* status primò felix. 10. Infelix DEO tentante. 11. Felix denuò DEO remunerante.

Instructio tertia.

1. *Iosephi* venditio propter somnia. 2. Incarceratio propter spretam *Putipharis* conjugem. 3. Propter auguria. 4. Promotio ad Solium. 5. Fratrum hospitalitas durior. 6. *Benjamini* præsentia. 7. Tentatio. 8. Agnitio mutua. 9. *Iacobi* adventus, mors. 10. *Israëlis* servitus. 11. Vocatio *Moysis*.

TABULA IV.

Continens Epocham quartam, seu Statum Judicum à Clade Ægypti per Moysen ab anno 2544 usque ad annum 2962.

1. *Moysis* legatio spreta. 2. Plagæ decem *Ægypti*: 1 Sanguis, 2 rana, 3 culex, 4 muscæ, 5 grex pestifer, 6 ulcus: 7 grando, 8 locusta vorax, 9 tenebræ. 10 3. Primi hostia fœtûs.

Ætas Mundi quarta : seu Status Judicum per annos 448.

Instructio prima : Acta ante ingressum in Terram *Chanaan*.

fœtûs. 4. Exodus vicenorum millium *Iudæorum*. 5. Clades *Ægypti*, millione hominum integro, maris rubri undis demerso. 6. Prodigium aquæ dulcis, coturnicum, Mannæ. 7. Prodigium aquæ è petra : victoriæ contra *Amalecitas*. 8. Prodigia Legis datæ, Populo vitulum aureum adorante. 9. Incensio castrorum ob iterata murmura : sepulchra concupiscentiæ : rixæ inter *Sephoram* & *Mariam*, *Moysis* Sororem : seditio propter exploratores : vindicta Telluris deglutientis *Core*, *Dathan*, & *Abiron*. 10. Petra dubitante *Moyse* percussa : igniti serpentes. 11. Victoria contra *Balac* : Zelus *Phinees* : mors *Moysis*.

Instructio Secunda: acta post ingressum in terram *Chanaan*.

1. Transitus *Iordanis* prodigiosus Duce *Iosue*, & obsidio *Iericho*, sponte corruentibus muris. 2. Victoria *Iosue* contra quinq; Regulos. 3. Partitio Terræ promissæ. 4. Regimen per Judices, servitutis variæ vindices : *Othoniel* à Rege *Chusan Mesopotamiæ* : *Achod* ab *Eglon* Rege Moab : *Sangar* à *Philistæis*. 5. *Debbora* à *Iabir* Rege *Chanaan* occiso *Sisarâ*. 6. *Gedeon* à *Zebée* & *Salmana*, Regibus *Madian*. 7. *Abimelech* à tyrannide propria per mortem. 8. *Iephte* ab *Ammonitis*, immolata filiâ. 9. *Samson* à *Philistæis* morte

morte propriâ Patriam liberans. 10. *Heli* Regimen infelix propter filiorum ſcelera; captâ Arcâ infelix mors. 11. *Samuelis* regimen felix, ſubactis penitus *Philiſteis*.

TABULA V.

Continens Epocham quintam, ſeu Statum Regum à Conſecratione Saulis A.2962. uſque ad Captivitatem ſublatam per Cyrum A. 3516.

Ætas Mundi quinta: Status Regũ per annos 554.	Inſtructio prima. *Saulis* Regimen.	1. *Saulis* electio à Deo extorta, factáque per ſortes. 2. Ejus victoria contra *Naas*, Regem *Ammonitarum*, *Gabaam* obſidentium. 3. Reprobatio *Saulis* propter inobedientiam, immolando abſque *Samuele*, parcendo *Agago* Regi. 4. Electio *Davidis* in Regem. 5. Ejus victoria contra *Goliathum*. 6. Perſecutio *Saulis* ſtructis variis æmulo *Davidi* inſidiis. 7. *Davidis* beneficentia, bis *Sauli* parcentis. 8. *Saulis* fata, ſuſcitato *Samuele*, clade, morte. 9. *Isboſethi* Filii regimen favente *Abnero*. 10. Mors violenta, *Abnero* offenſo. 11. Regni devolutio ad *Davidem*.

1. Reli-

Ætas Mundi quinta: StatusRegum per annos 554.	Instructio secunda. *Davidis*, & *Salomonis* regimen.	*1.* Religio *Davidis* in transferenda Arca. 2. Ejus victoriæ præprimis contra *Hannonem*, in Legatis jura Gentium violantem. *3.* Ejus adulterium cum *Bethsabea*, homicidium *Vriæ*. *4.* Ejus pœnitentia. *5.* *Ammonis* incestus cum *Thamare*. Mors. *6.* *Absolonis* rebellio, Patris fuga, filii scelera, mors, seditio in reductione *Davidis*. *7.* Pestis 70 millium clade. *8.* *Adoniæ* seditio; mors *Davidis*. *9.* *Salomonis* sapientia. *10.* Templi magnificentia. *11.* Regis libido, mors.
	Instructio tertia. Fata Regum *Israël*.	*1.* Regni *Iudaici* divisio, *Roboami* stulta severitate. 2. *Ieroboami*, Regis *Israël*, infelix regimen, ob inductam Idololatriam ex principio pseudo-politico. *3.* Ejusdem clades, per *Abiam* Regem *Iudæ* illata, & violenta mors. *4.* *Achab* Regum *Israël* scelestissimus ob *Iezabelem*, cultum *Baälis*, raptam *Nabothi* vineam: ob vindictam à DEO sumptam per iteratas clades, violentam mortem. *5.* Totámque familiam à *Iehu* exstirpatam. *6.* Regis *Iehu* initia bona ob extinctum cultum *Baalis*: finis pessimus ob cultum *Apis* atque *Serapidis*. *7.* Prima ruituri Regni præludia sub *Phacée*, *Theglat-Phulassure*, in Regnum *Israël* irruente. Ipsum Regni excidium sub *Osea*, *Israëlitis* in captivitatem *Assy-*

Assyriam abstractis. 8. Terra *Israël* ab *Assyriis* habitata, inter leonum molestias, usque dum ceremonias Religionis veræ assumerent. 9. *Eliæ* miranda fata, prodigia. 10. *Elisæi* pares virtutes. 11. *Tobiæ* junioris peregrinatio, reditus, mors.

Ætas Mundi quinta: Status Regum per annos 554.

Instructio quarta. Fata Regum *Juda.*

1. *Roboami* Idololatria, clades per *Sesacum*, mors: eadem fata *Abiæ*. 2. *Asæ* initium bonum, finis malus ob diffidentiam in DEUM. 3. *Iosaphati* virtutes laudatissimæ, illaudatum fœdus cum *Achabo*. 4. *Iorami* crudelitas in sex fratres, clades, mors. 5. *Ioas* pupillus optimus, pessimus majorennis. 6. *Amasiæ* idololatria stulta, clades. *Osiæ* lepra ob ambitionem Sacerdotii. 7. *Achazi* horrenda scelera, clades. 8. *Ezechiæ* regimen felix, restituta sanitate, *Sennachiribi* clade. 9. *Manassis* scelera, pœnitentia. 10. *Iosiæ* religio, felicitas. 11. *Ioachimi* scelera, captivitas: *Sedeciæ* perfidia, captivitas: Templi, Regnique eversio.

Instructio quinta. Status Captivitatis *Babylonicæ.*

1. *Bethuliæ* obsidio per *Holofernem*. 2. *Judithæ* victoria. 3. Triumphus. 4. *Susannæ* castitas tentata. 5. condemnata. 6. à DEO liberata per *Danielem*. 7. Hujus pueritia celebris abstinentiâ legali. 8. Juventus auguriis. 9. Ætas virilis Zelo Domini, destructo

ſtructo *Belo*, occiſo dracone, immunitate inter leones. *10.* Senectus prodigiis, expoſitione ſcripturæ, facta *Balthaſari:* immunitate iterata inter leones. *11.* *Iudææ* regimen per *Godoliam.*

TABULA VI.

Continens Epocham ſextam, ſeu ſtatum Pontificum à Captivitate ſoluta per Cyrum A. 3516. uſque ad Chriſtum natum A. 4052. completo.

Ætas Mundi ſexta. Status Pontificum per annos 537.

Inſtructio prima. *Judææ* fata ſub Regibus *Perſiæ*.

1. Captivitas ſoluta per *Cyrum* ob vaticinium *Danielis*. 2. *Zorobabelis* reditus in Patriam. *3.* Templi reſtauratio impedita per *Samaritanos*. *4.* Promota per *Hyſtaſpen* in gratiam *Zorobabelis*. *5.* Templi reſtauratio abſoluta, Urbis cœpta. *6.* Reformatio morum per *Eſdram*. *7.* Urbis reſtauratio abſoluta, Dedicatio, Legis renovatio per *Nehemiam*. *8.* *Eſteris* in *Perſia* elevatio in Solium. *9.* Afflictio ob *Amanum*, Gentis perſecutorem. *10.* Authoritas ad perdendum *Amanum*. *11.* Gentémque liberandam.

1. *Alexandri M.* clementia in *Iaddum* Pontificem, *Ieroſolymam*. 2. *Lagi* Regis *Ægypti* ſævitia in Urbem, per *Sabbathi* otium captam. *3.* *Philadelphi* ſucceſſoris favor, ob 72. Interpretes S.Scripturæ

pturæ

ſpturæ. 4. *Philopatoris* temeritas in Templum à DEO caſtigata; amens vindicta in Populum. 5. *Seleuci* Regis *Syriæ* avaritia, in *Heliodoro* per Angelos caſtigata. 6. *Epiphanis* furor, *Iaſonis*, & *Menelai* Pſeudo-Pontificum ambitione nutritus; ejus tyrannis in Urbem, Templum, Legis cultores. 7. *Eleazari* & ſeptem Fratrum martyrium. 8. *Mathatiæ* Zelus, jugum excutientis in *Modin*. 9. *Iudæ Machabæi* fortitudo contra Duces *Epiphanis*, *Apollonium*, *Gorgiam*, *Ptolomæum*, *Lyſiam*; contra ipſum *Eupatorem*, *Nicanorem* &c. 10. *Jonathæ* captivitas, mors perfidiâ *Tryphonis*. *Simonis* mors proditoria per *Ptolomæum* generum; *Ioannis Hyrcani* felicitas, *Samariâ* & *Idumæâ* converſa. 11. *Machabææ* ſtirpis occaſus *Ariſtobuli* Regis primi ambitione, *Iannæi* tyrannide, præprimis in *Phariſæos* &c. mors pacata.

Ætas Mundi ſexta: ſtatus Pontificum per annos 537.

Inſtructio ſecunda: *Judææ* Fata ſub Regibus *Græciæ Ægypti* & *Syriæ*.

Inſtructio tertia: *Judææ* fata ſub *Romanis Herodianis*.

1. *Iudæa Romanis* ſubjecta per *Pompejum*, ob gemini fratris *Hyrcani*, & *Ariſtobuli* diſcordiam. 2. *Antipatri* aſtutia, *Hyrcani* locò adminiſtrantis Rempublicam, favores *Cæſaris* lucrando, *Herodem* filium elevando. 3. *Herodis* ſolium occupantis calliditas, favore *M. Antonii*; felicitate *Antigoni* debellati: ejusdem ſolium

Ætas Mundi sexta: status Pontificum per annos 537.	Instructio tertia. *Judææ* fata sub *Romanis, Herodianis.*	solium firmantis Politica, favores *Romæ* lucrando; stirpem *Machabæam* exscindendo. 4. Ejusdem astutia, ædificiis *Cæsarem*; renovato Templo Populum demerendo. 5. Ejus tyrannis in filios, alios, ipsúmque *Christum.* 6. Infamis mors.. 7. Divisio Regni in filios facta à *Cæsare*: *Archelao Judææ* Ethnarchâ, sed brevì in exilium ejecto. 8. *Antipæ* scelera in adulterio *Herodiadis*, cæde Præcursoris, D. *Christi* illusione: ejusdem in exilio mors. 9. *Agrippæ* infelicitas prima adversante *Tiberio.* 10. Felicitas favente *Cajo*, & *Claudio*, à quibus Regno donatus. 11. Infelicitas ob necem D. *Iacobi*, superbiam, & subitaneam mortem.

TABULA VII.

Continens Epocham septimam seu statum Regni Judaici à Christo Nato 4052. compl. usque ad ultimam ejus eversionem A. M. 4122. Christi 70.

Ætas Mundi septima: *Judææ* status à *Christo* nato usque ad Regni excidium per annos 70.	Instructio prima. Acta à *Christo* nato usque ad Ascensionem.	1. Status *Iudææ* politicus tempore *Christi* nati, per Principes beneficiarios, Prætores, Procuratores, quos inter famosus *Pilatus.* 2. Status Ecclesiasticus vario schismate divisus. 3. Status universi Orbis, Idololatriâ cor-

Ætas Mundi septima: *Judææ* status à *Christo* nato usque ad Regni excidium per annos 70.

- Instructio prima, Acta à *Christo* Nato usque ad Ascensionem.
  - corruptus. 4. Adventus *Christi* Evangelica luce illustrans Mundum. 5. In quo memorabilis nativitas, educatio. 6. Baptismus. 7. Annus prædicationis primus. 8. Secundus. 9. Tertius. 10. Dominicæ Passionis series. 11. Series Resurrectionis.
- Instructio secunda. Acta à *Christi* censione usque ad Regni eversionem.
  - 1. Signa prodroma exitii *Ierosolymitani*. 2. *Flori* avaritia, tyrannis; *Eleazari* Zelotæ intestina seditio. 3. *Cestii* frustraneus conatus, solutâ subitò *Solymæ* obsidione. 4. *Vespasiani* adventus, subactâ *Galilæâ*. 5. Nova Urbis divisio per *Ioannem*, novum Zelotam Urbe receptum: intestina bella, advocatis per Zelotas *Idumæis*: *Simon* tertius Zelota à civibus receptus. 6. Adventus *Titi*, Urbe per hostes domesticos desolatâ. 7. Obsidio Urbis, primi & secundi muri expugnatio. 8. Circumvallatio *Solymæ*, muri tertii, & Arcis *Antoniæ* expugnatio, fames horrenda. 9. Templi expugnatio, combustio, devastatio, Urbis inferioris, mox & superioris. 10. Templi, Urbis, & totius Regni eversio, horrenda strage. 11. Fata *Iudæorum* post Regni eversionem.



INDEX

Verborum ac Rerum magis memorabilium, ubi numerus folium indicat; littera C. Continuationem de Historia novi Testamenti.

A

Achaz

INDEX

B.

C.

Clau-

E.

F.

G.

H.

Here-

I.

Jaſon

N.

O.

R.

T.

V.

Z.

FINIS.



Errata Corrigenda
In Prolegomenis.

Veritatam Lege Veritatem. f. XII.
Pilfinenfis leg. Pilſinenſis. f. XXVI.
falſitate leg. falſitate. f. XXXIV.
ſumetria leg. ſymetria. f. XXXVII.
Aihenas leg. Athenas. f. XLVIII.
rellatio leg. relatio. f. LII.
ſteudio leg. ſtudio. f. XL.
reſervendis leg. reſolvendis. f. LXIV.

Errata Corrigendæ
In prima Parte.

Diviſio leg. Diviſio. f. 11.
ſcundus leg. ſecunda. f. 12.
Diviſia leg. Diviſio. f. 12.
primo leg. primus. f. 15.
III. leg. ſecunda. f. 16.
vaſttum leg. vaſtum. f. 37.
pantis leg. plantis. f. 38.
allagatio leg. alligatio. f. 43.
contemplaſio leg. contemplatio f. 48.
Adamnm leg. Adamum. f. 48.
intelligentum leg. intelligendum. f. 51.
teribllium leg. terribilium. f. 53.
trepiante trepidante. f. 56.
incsrta leg. incerta. 57.
ænigcua leg. ænigma. f. 60.
humauam leg. humanam. f. 63.
inſtanits leg. inſtantis. f. 68.
demendavit leg. demandavit. f. 70.
erudelitas leg. crudelitas. f. 75.
aveſatus leg. averſatus. f. 76.
ducitus leg. ducitur. f. 86.
Rebecce leg. Rebeccæ. f. 88.
X. leg. IX. f 117.

con-









conelusum leg. conclusum. f. 121.
adoleivit leg. adolevit. f. 123.
si leg. sic. f. 160.
historio leg. historico f 162.
abiugntur leg. abiguntur. f. 168.
3. Reg. 3. v. 2. leg. v. 12. f. 254.
memorabis leg. memorabilis. f. 260.
anno M. 3161. leg. 3151. f. 300.
anno M. 3123. leg. omittatur prima vice. f. 308.
anno M. 3141. leg. 3145. f. 315.
anno M. 3291. leg. 3295. f. 346.
anno M. 3291. leg. 3299. f. 347.
jusset leg. jussit. f. 367.
Anno M. 338. leg. 3838. f. 421.
Anno M. 3050. leg. 3950. f. 443.
Anno M. 4962. leg. 4062. f. 466.
Agripdæ lege Agrippæ. f. 470.





Errata corrigenda in Continuatione.



probabili ore lege probabiliore f. 29.
iu leg. in f. 107.
Vespafiano leg. Vespasiano. f. 115.
Regulas leg. Regulos. f. 118.
tertæ leg. terræ. f. 119.
EEI leg. DEI. f. 127.
urbis leg. urbs. f. 133.
Pothaim leg. Dothaim. f. 140.
proflagati leg. profligati. f. 143.
Dividi leg. Davidi. f. 178.
clamadis leg. chlamydis. f. 179.
Scertat leg. certat. f. 183.
pri-mon iraculo- leg. primo miraculo. f. 200.
444. leg. 244 in numeris fol.





Ignoscet Lectoris benevolentia his, & pluribus errat[is], nam licèt nulla omissa, immò plurium sit fatigata in[du]stria, præcaveri tamen non potuit, ut ne ex ipsis correctis c[or]rigenda denuo, hisce in circumstantiis, repullularent.

colorchecker CLASSIC


calibrite

mm